



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118480**


Liber CXXXII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)



HISTORIÆ  
ECCLESIASTICÆ  
LIBER CXXXII.



CLEMENS VII. ROM. PONT.  
CAROLUS V. IMP. OCC.

§. I.

*Concilium Bituricense.*

Nonnulli Franciæ Episcopi Cardina-  
lis Prati exemplo animati sese Lu-  
theri erroribus opponere haud seg-  
niori studio aggrediebantur. Hos inter  
præcipuus erat Franciscus Turnonius,  
qui ab Archiepiscopatu Embrodunensi ad  
Ecclesiam Bituricensem, ac postea ad  
Cardinalium dignitatem evectus fuit.  
Hic die vigesima prima Martii hoc anno  
Domini millesimo quingentesimo vige-  
simo

Sæcul. XVI.

A.C. 1528.

Labb. Coll.

Concil. tom.

14. p. 426.

Et 430.

Hist. Eccles. Tom. XXXV. Cc

Sæcul. XVI. A.C. 1528. fimo octavo Biturigibus tempore jejunii verni Provinciale coegit Concilium, cui ipfus tanquam Metropolitanus præfuit. Convenerant ejusdem Suffraganei, qui erant Claromontanus, Lemovicenfis, Podnienfis, Tutellenfis, & Sanct-Florenfis Epifcopi, præter Abbates, Monafteriorum Priores, ceterosque, qui ab hujus Provinciæ Capitulis eo ablegati fuere. Præcipuus hujus Synodi fcopus eo collimabat, ut depositum fidei Catholicæ illibatum fervetur, mores emendentur, & difciplinæ Ecclefiafticæ vigor foveatur. His ita stabilitis, Patrum cura eo intenta erat, ut fatisfacerent Francisco Galliarum Regi; hic enim, ut pro duobus filiis fuis, Francisco Delphino, & Henrico Aurelianenfi Duce, quos Imperator adhucdum Madriti obfides tenebat, redemptionis pretium perfolvere poffet (\*), postulavit, ut ab omnibus Clericis tam Regularibus, quam sæcularibus quatuor decimæ fuper fructibus tam exemptorum, quam non exemptorum Beneficiorum, & Ecclefiafticorum Officiorum, & fabricarum in præfata Provincia exiftentium, omniumque communitatum, atque aliorum Ordinum, etiam sancti Joann-

(\*) *Ecce! ad quosnam ufus, ac publicæ neceffitatis expenfas pie refervata fint Clericorum bona.*

*Joannis Hierosolymitani infra biennium per-* Sæcul. XVI.  
*solvantur, nisi necessitas prædictorum Filio-* A.C. 1528.  
*rum citius redimendorum aliud exegerit, ita*  
*etiam, ut quælibet decima ad rationem deci-*  
*mæ novissime solutæ ascendat, & infra Fe-*  
*stum beati Michaelis proxime venturum ea-*  
*rum solutio incipiat. Hanc igitur deci-*  
*marum exactionem Episcopi in unum*  
*congregati pendere decreverunt, factis*  
*tamen contestationibus, quod per hujusmo-*  
*di concessionem Synodus non intendat con-*  
*travenire libertati, aut immunitati Ecclē-*  
*siasticæ, sed solum consentiat in casu, & ju-*  
*re promisso, videlicet captivorum Regis, &*  
*ejus filiorum redemptione.*

## §. II.

*Decreta hujus Synodi contra Lutheri*  
*errores, & pro correctione*  
*morum.*

**H**is ita concessis Synodus viginti tria *Lab. Coll.*  
 condidit decreta adversus Lutheri *Concil. l. cit.*  
 hæresin, necnon pro redintegrandâ mo-  
 rum disciplina. Igitur statuit I. Quod  
 damnatum dogma Lutheri, & sequacium,  
 a sacrosancta Sede Apostolica jam pridem re-  
 probatum, in publicis concionibus locis &  
 temporibus opportunis, prout expediens Or-  
 dinariis locorum videbitur, generaliter tan-  
 tum reprobetur, non declaratis sigillatim er-  
 roribus, nisi locus aliquis fuerit, ad quem  
 C c 2 perve-

Sæcul. XVI. pervenerint damnati aliqui errores, in quo  
 A.C. 1528. Et errore reprobato nominatim ipsius etiam  
errores reprobentur.

II. Decernit: Injungendum esse cura-  
 tis, & Parochianorum rectoribus, si quos  
 sciant in sua parochia Lutheranis, aut aliis  
 ejusdem Sæcæ, & hæreticæ factionis into-  
 xicatos, aut infectos erroribus, si quos ma-  
 leficos, sortilegos, incantatores, & alias  
 id genus superstitiones observantes, usu her-  
 barum cum superstitiosa observatione, & sa-  
 crilego, ac damnato ritu characterum, etiam  
 usu signorum in occultis revelandis per dæ-  
 monum invocationem & aliquorum mixtio-  
 nem verborum abutentes, revelent Episcopo,  
 aut ejus vicario, sub incurso pœnæ arbitra-  
 riæ per Ordinarios decernendæ.

III. Prohibet: Ne quis Bibliopola li-  
 bros Lutheri & sequacium hæresi infectos  
 vendat, neve impressores imprimant, neve  
 habentes apud se detineant, sed intra men-  
 sem unum Ordinariis locorum aut Vicariis  
 eorundem exhibeant, neve aliqui emant. Si  
 quis vero hoc præsentis decreto, & ejus pro-  
 mulgatione admoniti contravenerint, vendi-  
 tores, impressores, emptores & detentores  
 carceribus includantur, & alia pœna arbi-  
 traria puniantur.

IV. Inhibet Synodus: Ne libri Lu-  
 theranæ hæresis aut sequacium, aut alii li-  
 bri, etiam divini, a latino sermone in lin-  
 guam

quam vernaculam pridem, & ab annis octo Sæcul. XVI.  
 versi non vendantur, emanenturve, nisi sue A. C. 1528.  
 rint ab Ordinariis locorum recogniti sub pæ-  
 nis contravenientibus infligendis.

V. Vetat: Ne quæstores Indulgentias prædicent, nisi prius fidem fecerint de permissione Ordinariorum, deque probatione, & institutione eorum. Quin etiam habeant articulos chirographo secretariorum signatos: ultra quorum contenta, si quædam publicent, subjaceant pænæ arbitrariæ, tam retores Ecclesiarum abusus ipsis fieri permittentibus, quam quæstores ipsi delinquentes. Prohibetur etiam, ne aliqui incogniti prædicatores, cujuscunque professionis sint, ad prædicationem admittantur, nisi habita potestate Ordinariorum.

VI. Mandat: Ut Rectores Ecclesiarum in sacris celebrandis diebus Dominicis prædicent plebi præcepta legis, Evangelium, aliquid Epistolæ illius diei, aut quod confert ad cognitionem peccatorum, & virtutum: tripartitum etiam Gersonis vulgari sermone versum declarent: quod ut commodius fiat, curent breviores esse in aliis, ut puta in precationibus fieri solitis, ac aliis non necessariis.

VII. Decernit: Quod statuta Synodalia in linguam Gallicam vertantur, & conciones Synodales fiant in posterum contextu faciliiori, & rudiori sermone, & quem ma-

Sæcul. XVI. A. C. 1528. *xime capere poterunt auditores : quibus sub  
pœnis arbitrariis rectores parochiarum &  
alii Sacerdotes & Clerici in civitate vel op-  
pido existentes, in quo fiet Synodalis concio,  
interfint.*

VIII. Prohibet: *Ne Clerus aut plebs  
vagetur & deambulet per templa, interea  
dum res divina peragitur, aut prædicatio  
sive mandatorum publicatio habetur.*

IX. Definit: *Ut Decretum Concilii  
Constantiensis super celebratione conciliorum  
provincialium tertio quoque anno celebra-  
ndorum observetur. Fiant etiam vifitationes  
a dominis prælatis singulis annis, & per se,  
legitimo cessante impedimento, quoniam ad  
eos pertinet de ovibus curam sollicitam agere.*

X. Decernit: *Ut acerrima indagatio,  
inquisitio & punitio fiat contra blasphemos,  
iram Dei, beatæ Mariæ Virginis, & San-  
ctorum provocantes.*

XI. Præcipit: *Ut ad majorem Dei re-  
verentiam Rectores Ecclesiarum suo populo  
persuadeant faciendam genuflexionem, tan-  
tis per ac quoties audietur signum aliquod ele-  
vationis Corporis Christi seu sacrosandæ  
Eucharistiæ.*

XII. Agit de confessione, & statuit:  
*Ne pœnitentes injundam sibi pœnitentiam a  
Sacerdote revelent: neve Sacerdotes ipsi re-  
velent pœnitentias etiam injundias, aut ali-  
quid*

quid in confessione detectum: quod a quibusdam impune fit in contemptum clavium Ecclesie: alioquin si contrafecerint, gravi pena punientur.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1528.

XIII. Innovat statutum Concilii Constantiensis & pragmaticæ sanctionis de residentia canonicorum & aliorum Ecclesie Ministrorum in divino cultu, & etiam de psalmodia lente, & cum certa morula facienda.

XIV. Jubet Synodus: Quod imposte- rum emendæ non dentur ad firmam, nec etiam jus sigilli Dominorum Prælatorum.

XV. Præcipit: Quod Breviaria, Mis- salia, Baptisteria, Processionalia, horæ, & ejusmodi libri, quos vocant usus, non mittantur ad Chalcographiam imprimendi, donec ipsi librarii acceperint exemplaria ab Ordinario aut deputato emendata.

XVI. Statuit, quod confraternitates non erigantur inconsulto Ordinario, nec fiant sumptus immoderati præcipue convi- viorum, computationum, chorearum, &c. Convertentur potius pecuniæ confratrum in pios usus. Itemque contractus fidei & usu- rarii prætextu prædictarum confraternita- tum non contrahantur.

XVII. Decernit: Numerum dierum festorum esse coercendum: steturque arbitrio Ordinariorum in ipsis festis abrogandis.



Sæc XVI.  
A.C. 1528.

XVIII. Vetat Synodus: *Ne literarii studii Magistri suis adjutoribus legant Auctores revocantes a divino cultu, Ecclesiæ ceremoniis, & religionibus sive institutis ab ipsa Ecclesia approbatis: sed potius legantur Scriptores ad animi cultum & linguæ splendorem conducentes.*

XIX. Injungit *Parochis ac Curatis, ut sub pœnis arbitrariis visitent suas curas personaliter semel in anno ad minus, maxime in paschate: salvis tamen in omnibus privilegiorum exemptionibus.*

XX. Decernit: *Quod dimissoriæ non dentur promovendis, nisi debite examinati fuerint ab Ordinario & idonei inventi. Itemque si qui promoti fuerint ad Ordines sacros non habitis dimissoriis, suspendantur a celebratione Missarum per tempus, quod convenire videbitur Ordinario. Et si jam promoti incapaces inveniantur, corporaliter puniantur arbitrio diœcesani. Non concedantur etiam dimissoriæ ad sacros Ordines non beneficiatis, nisi prius fecerint fidem de titulo patrimonii.*

XXI. Inhibet: *Ne dispensetur a Prælati, cum habentibus curam animarum, ut relictis propriis ovibus, inserviant alienis.*

XXII. Vult *Moniales cohibere ab exitu Monasteriorum suorum, & compelli ab Ordinariis, ut resideant in claustris suis clausis, undique septis, adeo ut aditus non pateat*

teat ad eas sæcularibus. Et per omnia ob- Sæcul. XVI.  
serventur, & executioni mandentur con- A.C. 1528.  
tenta in capitulo Periculoso, de statu regu-  
larium, in sexto.

XXIII. Denique statuit, quod Religio-  
si extra claustra sua vagantes ab Ordinariis  
cogantur ad rectam redire semitam, & ad suo-  
rum institutorum observantiam.

Hæc decreta in ultima Sessione  
fuere prælecta, ac Patrum consensu ap-  
probata.

§. III.

*Decreta Eiusdem Synodi de jurisdic-  
tione, & Clericorum ex-  
emptione.*

Cum Judices profani Jurisdictionem *Labbe l. cit.*  
Ecclesiasticam, & Clericorum liber- p. 429.  
tatem graviter læderent, hujus Synodi  
Patribus haud abs re fore visum est, si  
sequens decretum conderetur his verbis  
conceptum:

*Decernit, & ordinat eadem Synodus,  
ut super turbatione, quam jurisdic-  
tio ecclesia-  
stica a sæcularibus judicibus patitur circa  
obligationes juramento firmatas cum submis-  
sione coërcitionis ecclesiasticæ circa persona-  
lium actionum cognitionem inter laicos: cir-  
ca etiam testamentorum quoad pias causas  
exhibitionem & executionem: circa in-  
venta-*

Sæcul. XVI  
A.C. 1528. *ventariorum de bonis mobilibus clericorum per notarios officialium confessionem & litterarum tacitis nominibus monitoriarum publicationem: item circa remissiones, quæ a laicis iudicibus fiunt cum onere casus privilegiati: ad hæc circa prohibitiones generales necnon & particulares, quæ tam contra arresta, quam contra ordinationes regias passim fiunt: porrigatur supplicatio domino nostro regi, quatenus super his procedere dignetur, ut libertati ecclesiasticæ & subditorum suorum etiam laicorum commoditati consulatur.*

His ita statutis Synodus communi suffragio statuit, ut Francisco Galliarum Regi demississime exponatur, quatenus ipsemet præfatis corruptelis remedium opponere, ac Ecclesiasticam libertatem tueri vellet; eoquod exinde in proprios ejusdem subditos præcipue Laicos maximum emolumentum redundaret. Hanc in rem Synodus quinque decreta edidit hujus tenoris:

I. *Inhibet hæc Provincialis Synodus monitoria generalia, seu tacitis nominibus ab ecclesiasticis iudicibus decerni, nisi damnum ratione cujus impetratur, sit æstimationis trium solidorum: nec moniti culpabiles pro minori damno excommunicationis sententia innodentur, atque id in monitoriis literis exprimat.*

II. Sta-

II. Statuit etiam, ut in literis contra <sup>Sæcul. XVI.</sup> A.C. 1528. participantes excommunicatoriis & agra-  
vatoriis concedendis, excimantur uxor & liberi, neq non seruitores & ancillæ, quæ ante dictarum literarum impetrationem operas suas locaverint.

III. Prohibet insuper notariis, scribis, procuratoribus & aliis in ecclesiasticis curiis practicantibus, pro salariis, vacationibus, expeditionibus & actis judicialibus contra partes seu clientulos suos per viam excommunicationis procedere: sed tantum per viam interdicti ab ingressu ecclesiæ eisdem liceat procedere: donec crescente contumacia causa cognita per iudices aliter existerit ordinatum.

IV. Item, ut animarum saluti consulatur, decernit pro prima contumacia literas excommunicatorias non esse concedendas, sed tantum interdictum ab ingressu ecclesiæ: nisi pro diversitate locorum morumque, Ordinariis aliter observandum videbitur.

V. Item ut facilius & rectius Metropolitanis iudices iustitiam ministrare valeant, statuit informationes & inquestas a suffraganeis seu eorum officialibus in lingua latina aut Gallica esse faciendas, aut saltem tali idioma, ut absque interprete facile possint in Bituricensi sede intelligi.

§. IV.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1528.

§. IV.

*Decretum de residentia Parochorum.*

Præterea Synodus aliud condidit decretum, quo præcepit, ut *Parochialium Ecclesiarum Rectores, ceterique animarum curam habentes resideant in suis beneficiis; nec eisdem etiam concedendæ literæ de non residendo, nec ipsorum vicariis de regendo, nisi causa cognita: Qua expensa & vicariis idoneis præmissis examine comperitis, teneantur prædicti curam animarum habentes sic per se vel suos vicarios procedere, ut debita hospitalitas, & pauperum subventio observentur.*

§. V.

*Aliud decretum de Cæmeteriis.*

Postremo tandem Synodus quoddam statutum de Cæmeteriis condidit his verbis: *Ne adeo facile polluantur, aut profanentur cæmeteria, statuit, ut proxime quam citius fieri poterit, saltem infra triennium claudantur. Et si ii, ad quos spectat hæc cura, causa cessante, facere neglexerint Ordinarii arbitrio puniantur.*

Cunctis hisce decretis ita promulgatis Patres præscripserunt decimas, quas Galliarum Rex pro redemptione  
utrius-

utriusque Regii Filii exigeret, ac denique Synodo finis imponebatur.

Sæcul. XVI.  
A C. 1528.

§. VI.

*Seditio in Provincia Ultrajectina ob Lutheri hæresin exorta.*

Jam octingentesimus effluxerat annus, ex quo Episcopis Ultrajectinis supremum hujus Provinciæ dominium tam in rebus sacris, quam profanis non interrupta ferie assertum erat; evoluto autem hoc tempore in hanc ditionem Lutherana hæresis irrepsit, eamque suo veneno infecit. Nec id quidem magni laboris impendio stetit; cum enim præter eam vix alia daretur regio, magis ad concitandas seditiones proclivis, hinc facili prorsus negotio Hæretici Catholicos numero æquabant, brevique malum insanabile reddebant, eo quod Henricus de Bavaria, qui a sedis Episcopalis institutione ibidem quinquagesimus octavus Præsul erat, hæreticæ doctrinæ progressibus sese ignava prorsus manu opponeret. Vix in eos inquirere cæperat, qui perversa hæc dogmata spargebant, cum illico Lutherani seditionem moverent; quoniam vero contra Episcopi ac Capituli potentiam bellum sustinendo impares essent, in auxilium vocabant Carolum Egmontium Geldriæ

*Joa. Beran.  
Chronic. Episc.  
Ultraject.*

*Gazey hist.  
Eccl. du  
Pays-has.*

Sæcul XVI. Geldriæ Ducem, qui jam dudum nova  
 A.C. 1528. Ultrajectinæ Provinciæ accessione Ducatum suum latius protendere anhelabat. Ergo Carolus suis cum copiis accurrit, quæ in urbem nemine obsistente introducebantur; postmodum Deventriam, & Harderwigam urbes vi occupat, necnon reliquam Provinciæ partem in deditioem accipit, excepta Tylerina arce, quam eapropter obsidere compellebatur. Episcopus, ejusque Canonici tam inopino hostium insultu obruti Carolum V. Cæsarem, eoque Belgii Archidux esset, in auxilium vocant, eique exponunt, quod Geldriæ Duces inveterato odio Augustissimam Domum Austriacam infectarentur, proin nequaquam tolerandum esset, ut iidem Ultrajectinam Provinciam in suam potestatem redigerent, præcipue, cum semper inter Franciæ Reges, & Geldriæ Duces arctissima intercederet amicitia.

## §. VII.

*Imperatoris postulatio de Ultrajectina Provincia Belgio unienda.*

*Le Mire notit. Eccl. Belgic. Val. André topog. Belg.*

Equidem hæc ratio Cæsari probabatur; cum vero Ultrajectina Provincia ipsimet vel maxime utilis esset, hinc  
 Epis-

Episcopo, ejusque Capitulo hæc verba Sæcul. XVI.  
A.C. 1528.  
reposuit: nil propius est, quam quod  
pacem nobis sat proficuum cum Galliarum Rege, cui Geldriæ Dux foedere junctus est, ineamus; quapropter Ducem coercere haud possumus, nisi saltem Ultrajectina ditio Belgii imperio adjungatur. His verbis haud obscure significabat, se in petiti auxilii præmium hujus Provinciæ dominium affectare.

Dura equidem videbatur conditio; de suprema enim jurisdictione penitus amittenda agebatur, nihilominus Episcopus, ejusque Canonici, cum nihil intentatum relinquerent, ut Geldriæ Ducem, quantum in ipsis esset, opprimerent, ejusque ausibus Cæsarem potentissimum hostem opponerent, hinc sese Caroli Imperatoris imperio subdicere haud detrectabant.

§. VIII.

*Ultrajectina Provincia Sacrae Sedis auctoritate Cæsari asserta.*

Cum vero Ultrajectensis ditio Belgii Statibus absque Sedis Apostolicæ auctoritate uniri haud posset, ad Leonem



Sæcul. XVI. nem X. (\*) supplices literæ expediebantur, qui etiam cuncta, quæ petebantur, lubens concessit, eo quod Cæsaris patrocinio indigeret, ut Medicæorum Familiam ad Florentini imperii dignitatem elevaret. Igitur Ultrajectinæ Provinciæ unionem cum Belgio factam auctoritate sua confirmabat, omnesque, si qui forte in his pactis irreperint, defectus ex Apostolica, plenaque potestate supplebat. Facta est hæc domini tempor-

*De rebus  
Eccl. Ultraj.  
hisl. in 4to.  
impr. ann.  
1725 p. 1.*

(\*) Quam periculosum sit in rebus Historicis ex corrupto fonte aquam haurire, crebræ demonstrant Continuatoris hallucinationes: Cæsarem insimulat, quod ex nimia Ultrajectinam Provinciam eripiendi cupiditate auxilium Henrico præstiterit, & hæc nullus Historicus testatur, & ipse Lambertus Hortensius rerum Ultrajectensium Scriptor, licet Hæreticus, ea reticet; Episcopum ea, quæ ex zelo fidei egit, nonnisi in odium Geldriæ Ducis fecisse, Continuator redarguit; nullum tamen hujus rei testem adducit. Denique Leonis X. auctoritatem fuisse imploratam scribit: cum tamen anno 1528. a Cæsare unionem Provinciæ petitam asserat, & ipsum Leonem X. jam anno 1521. mortuum fuisse referat; huic accedit, quod primum anno 1529. Clemens VII. Geldriæ Principatus jura in Carolum V. edito diplomate transtulerit.

poralis accessio ad Belgii ditionem ex  
 consensu Caroli V. die vigesima prima  
 Octobris Anno Domini millesimo quin-  
 gentesimo vigesimo octavo.

Sæc. XVI.  
 A.C. 1528.

§. IX.

*De pace Cæsarem inter & Galliarum Regem irritato successu actum.*

Ratio, quam Cæsar Ultrajectensi Episcopo, ejusque Capitulo proponebat, veritati haud dissona erat; quippe communis emanabat fama, quod pax Cæsarem inter & Franciæ Regem brevi firmanda foret, totusque difficultatis cardo in eo verti videretur, ut decerneretur tempus, quo Lautrecus, qui Gallicis copiis imperabat, ex Italia revocaretur: contendebat Cæsar, quod Galli primo ex Italia discederent, ac demum ambo Regis Filii, qui obsides Madriti hærebant, liberi demitterentur. Ex adverso Franciscus Galliarum Rex postulabat, ut horum liberatio copiarum discessui aut præmitteretur, aut saltem uno eodemque tempore utrumque fieret. Justa & æqua Cæsareis Ministris videbatur Regis petitio; quapropter Carolum urgebant, ut ipse præter cautionem ab Angliæ Rege præstitam nil aliud interea peteret, eoquod Henricus

*Hist. Eccles. Tom. XXXV. D d Rex*

Sæcul. XVI. A.C. 1528. Rex integram datæ fidei executionem in se suscepisset. Verum solus obstiterat Cattinarus Cancellarius, qui bellum omnino prosequendum censebat, prævaluitque ejus sententia. Igitur Angliæ, ac Franciæ Regum Oratores, qui tum Burgi agebant, sat sibi perspectam habebant Cæsaris pertinaciam, qua præprimis articulum de revocando Lautreco adimpleri postulabat; hinc die vigesima Januarii Anno post Christum natum millesimo quingentesimo vigesimo octavo Cæsarem rogarunt, ut eis discedendi veniam concederet; his tamen ita respondit Carolus: prius prospiciendum est securitati meorum Legatorum qui apud vestros Reges agunt.

## §. X.

*Bellum Cæsari per feciales Angliæ  
& Franciæ Regum de-  
nunciatum.*

Post hæc duo Feciales, Guyennus & Clarentius, quos utriusque Regis Legati secum conduxerant, ad alloquium Cæsareæ Majestatis admitti efflagitabant; id etiam datum est eorum precibus Brugi die vigesima secunda Februarii. Igitur Imperator aulam ad audiendos Oratores destinatum ingressus  
in

in throno confedit; accedunt ambo Fe-  
 ciales, qui chlamydem in brachiis ge-  
 stantes trina vice genuflexi Cæsarem  
 salutabant, ac proximius ad throni pe-  
 des appropinquabant; ubi Clarentius  
 securitatis fidem, quamdiu in Cæsaris  
 imperio morarentur, necnon inde rece-  
 dentibus publicæ fidei literas ipsis con-  
 cedi petiit. Annuit Imperator: mox  
 autem Guyennus & Clarentius Epi-  
 stolam, qua Carolo bellum nunciaba-  
 tur, prælegerunt. Hac de re Impera-  
 tor tantopere commovebatur, ut epi-  
 stola e Fecialium manibus accepta Fran-  
 ciæ, Venetiæ, & Florentiæ Lega-  
 tos ad viginti omnino leucas ab aula sua  
 abesse, eosque a satellitibus custodiri  
 juberet. Paulo tamen mitius cum An-  
 gliæ Legato agebat, spe fretus, hunc  
 Regem ab inuito fœdere brevi abducen-  
 dum. Hoc factò ambo Feciales rursus  
 chlamydem suam induebant.

Sæcul. XVI.  
 A C. 1528.

§. XI.

*Crimina Galliarum Regi a Cæsare  
 objecta.*

Præterea Cæsar præsentibus cunctis  
 Proceribus jactitabat, quod jam an-  
 te duos annos cum primo Præsede Gra-  
 tianopolitano Galliarum Regis Lega-  
 to collocutus fuerit, eidemque palam

*Memoir. du  
 Bellay l. 3.  
 D. Ant. de  
 Vera hist. de  
 Charles V.  
 p. 151.*

D d 2

edi-

Sæcul. XVI. edixerit, quod paratus esset solus cum  
A.C. 1528. solo litem, quam cum Galliarum Rege haberet, armis dirimere; nunc vero fat mirari haud posset, quod Rex, qui tamen se adeo magnanimum venditat, factam provocationem ad singulare certamen acceptare recusaverit. Verum Præses hac super re interrogatus, sine ambage hunc in modum respondit: Haud memini, Cæsarem talia unquam ad me dixisse, & si forte ejusmodi sermonem fecisset, nunquam tamen hujus provocationis ad Regem deferendæ negotium in me suscepissem; habet enim Cæsarea Majestas suum apud Franciæ Regem Legatum, cui id in mandatis dare potuisset. Franciscus Rex, ut objectum crimen dilueret, Cæsaris Legatum adesse jussit, graviterque de Caroli sermone questus Legato epistolam dedit, eidemque præcepit, ut eam perlegeret, atque ad Cæsarem deferret; utrumque exequi recusabat Legatus, quapropter Rex epistolam ab aliis recitari jussit. Erat hic Legatus Nicolaus Perrenotus Granvellanus haud adeo ex nóbili genere in Comitatu Burgundiæ ortus, cetera vero Vir ingenii acie, ac incredibili scientiarum ubertate & copia longe celeberrimus.

§. XII.

Sæc. XVI.  
A.C. 1528.

*Cæsar a Francisco Rege ad singulare certamen provocatus.*

Regis epistola paucis verbis continebat vindicias de probris, quibus eum Cæsar & honoris & fidei suæ oblitum criminabatur; his literis Franciscus Carolum ad singulare certamen provocabat, ut injuriam sibi illatam, suumque honorem gladio repararet. Hanc epistolam Granvellanus ad Cæsarem deferre renuebat, caussatus, legationis suæ tempus exiisse, proin se ad hoc negotium publica auctoritate destitui, quapropter Rex hasce literas cuidam feciali commisit, qui eas Valifolenti Carolo Cæsari tradidit.

*Ant. Vera l. c. p. 153.  
Bellai l. c.  
Guicc. l. 18.  
Bouch. part. 4.*

§. XIII.

*Scheda provocatoria per Fecialem missa.*

Ita Rex ad Cæsarem perscripsit: „Nos „ Franciscus Dei gratia Galliarum Rex, Genuæ Dominus &c. salutem „ dicimus tibi Carole per Dei gratiam electe Romanorum & Hispaniæ Rex. „

*Dupleix hist. de France to. 3. vie de Francois I. n. 372. Vie de Charles to. V. par Grag. Leti com. 1. p. 33.*

„ Notum tibi facimus, ad aures nostras pervenisse, quod in cunctis re-

D d 3 „ spon-

Sæc. XVI.  
A.C 1528.

„ sponſis a te datis ad Legatos & fecia-  
 „ les noſtros, quos ad te ob commu-  
 „ ne pacis bonum noſtro nomine de-  
 „ crevimus, ad honeſtandam repulſam  
 „ tuam inani ac infirmo obtentu uſus  
 „ fueris, atque inuſte nos accuſaueris,  
 „ *quod oblitus fidei datæ aſſertor, tuis ex-*  
 „ *ceſſerim manibus perfidiæ reus.* Equi-  
 „ dem datam promiſſi fidem ſeruare  
 „ nos haud obſtriſtos ſcimus, eoquod  
 „ vi adacti plura polliciti ſimus; ut  
 „ tamen læſum honorem noſtrum repa-  
 „ raremus, literas tibi mittere com-  
 „ pellimur, quibus te ad ſingulare cer-  
 „ tamen provocamus, ut nomen no-  
 „ ſtrum tueamur; ſemper enim nobis  
 „ honor noſter cordi fuit, illumque ad-  
 „ iuvante Deo continue uſque ad ulti-  
 „ mum vitæ halitum ſollicite conſerva-  
 „ re ſtudebimus. *Quocirca ſi noſtrum*  
 „ *diſceſſum criminatus ſis, aut criminis, vel*  
 „ *ſi quid a nobis commiſſum contra datam*  
 „ *fidem, & libertatis noſtræ ſponſionem,*  
 „ *vel contra veri Principis officium a nobis*  
 „ *perpetratum aſſeras, diſſerte nos te aſſeri-*  
 „ *mus mentiri, totieſque te mentitum*  
 „ *ſuiſſe aſſeremus, quotieſ tu idem de*  
 „ *nobis aſſirmas.,* *Fixum nobis eſt, ho-*  
 „ *norem, atque exiſtimationem noſtram e-*  
 „ *tiam cum vitæ diſcrimine tueri. Et quid*  
 „ *Verbis, armisque cum tot hominum ex-*  
 „ *cidio contendimus? Noſtro duorum, ad*  
 „ *quem*

„ quem me provocas, gladio hanc litem di-  
 „ rimamus, duelloque, quo postulas expe-  
 „ riamur, utri caussa & æquitas faveat,  
 „ huic locum, tempusque designa. Si con-  
 „ gressum hunc differes, solisque in famam  
 „ nostram verbis debachabere, totius ad te  
 „ controversiæ turpitudinem pertinere de-  
 „ clarabis. Datum in fideli urbe nostra Pa-  
 „ risiensi, hac die vigesima octava Martii  
 „ ante Pascha Anno Christi millesimo quin-  
 „ gesimo vigesimo septimo, seu juxta ho-  
 „ diernam Gallorum computandi ra-  
 „ tionem in Galliis usitatam Anno Do-  
 „ mini millesimo quingentesimo vigesimo  
 „ octavo.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1528.

FRANCISCUS  
 Rex.

§. XIV.

*Franciscus Rex vicissim a Carolo  
 Cæsare ad duellum pro-  
 vocatus.*

Carolus hac provocatione acceptata  
 haud dudum quid consilii caperet,  
 suspensus hærebat, ac de suo honore a-  
 gi ratus, non modo oblatum certamen  
 lubens in se suscipiebat, sed etiam vi-  
 cissim Regem ad singularem pugnam  
 datis literis provocabat, easque cuidam  
 famoso Burgundioni Viro tam armorum

*Ant. Vera  
 l.c. p. 154.*

D d 4 peri-



Sæcul. XVI.  
A.C. 1528. peritia quam rebus gerendis dexteritate celeberrimo deferendas committebat. In hac epistola præter responsa, quæ Cæsar primario Burdegalensis Provinciæ Præsidi dederat, etiam relatio eorum, quæ Galliarum Rex in Madritensibus pactis promiserat, continebatur, nec minus in hisce literis Imperator Francisco exprobrabat, quod hic infulse admodum ipsum nominaverit Ludimagistrum ob id, quod ad decidendam controversiam, qua de honore agitur, leges ac jura allegasset (\*). Postea

---

(\*) Cum Continuator literas, quibus Cæsar Franciscum Regem ad duellum provocabat, non referat; ex iis vero justæ conquerendi causæ, quas Cæsar habebat, perspiciantur, eas hisce referre haud abs re erit. Itaque Imperator per Legatum suum ita Regi respondit: *Falleris, cum me tuum criminari abutum existimas; dilatum accuso reditum. Nonne abs te juramenti fide confirmatum est, in meam te potestatem custodiamque rediturum, nisi sanctitæ pacis leges imiteres? Si negas, tuis evincam sigillis ac literis. Si concedis, ut debes, quommodo laudati te Principis officium implere asseris, cum in ea re fidem fallas, quæ est obligationis tuæ est, est potestatis? Affirmo, est sine mendacio quidem, turpiter abs te factum, est scelerate, est quoniam duello huic controvers-*

stea vero Imperator pro certaminis loco designavit illud flumen, quod Fonterabiam alluit, tellusque circumjacens quamdam exiguam Insulam efformat, Postquam igitur Burgundio cum hisce provocationis literis in Franciam venit, Franciscus Rex in ampla Palatii aula regio habitu insignis, super quodam tabulato Cæsaris feciali alloquii copiam dedit. Comitabantur Regem Principes regio sanguine orti; præsentisque aderant omnes Legati, qui tunc in Regis aula agebant.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1527.

*Daniel hist.  
de France  
to. 5 vie de  
Francois I.  
p. 598.*

### §. XV.

*troverfiæ absolvendæ assentiris, conditionem accipio, locumque ad illud designo flumen, quod Fonterabiam inter Andæamque labitur, quem sane locum recusare minime poteris: nam si Et tuam, Et obsidum liberorum ei salutem, ante biennium credidisti, nihil erit, cur modo declines. Ne vero disceptatio mora longiori differatur; mittantur viri nobiles, earumque congressionum non imperiti, qui de loco, de armorum genere, deque certo constituent tempore. Quod si intra diem quadragesimum ab accepta epistola nihil responderis, dilationis in te residebit turpitudine, atque ad alterum non servatæ fidei crimen novum illud adjicies,*

D d 5

Sæc. XVI.  
A.C.1528.

§. XV.

*Cæsaris Fecialis a Francisco I.  
auditus.*

Vix Burgundio destinatum colloquii locum adierat, cum illico Rex eum rupta omni mora interciperet, dicens: præter provocationis formulam, locumque certaminis nil aliud audire volumus. Ad hæc Fecialis reposuit, quod equidem duelli literas secum deferret, multa tamen alia adhuc haberet, quæ ex Cæsaris jussu Regi nunciaret. Verum Rex plura audire dedignatus, non nisi de subeunda singulari pugna, nec non de certaminis loco certior fieri postulabat, hisque dictis quantocius ad aliud cubile sese recepit (\*). Insequebatur

(\*) Rem hanc Palatius, Massenius, pluresque alii ita referunt: *Legatus provocationis formulam absque ceteris, quæ eidem a Cæsare in mandatis fuere data, sensim exhibere reuebat, hinc Rex cunctabatur, neque Legatum publice auscultabat, nec literas provocationis admisit, sed verbis aliquot commutatis, concione excessit.* Ad hæc Massenius addit, *Laudabilius Reges ambo duellum subterfugere, quam multis ad hoc odiis inflammati provocarunt, ne quod in aliis offensioium vindicandarum genus damnarent,*

batur Regem Burgundio, hæc verba sub-  
 jungens. „ Si Regia tua Majestas me  
 „ audire dedignatur, nec ego provoca-  
 „ tionis literas tradere valeo, minus  
 „ vero designare certaminis locum,  
 „ quem tamen, ut Majestati tuæ signifi-  
 „ carem, literas mecum defero; illum  
 „ vero acceptare haud renuas; paucis  
 „ hisce verbis, ut tibi loci notitiam com-  
 „ municem, mihi injunctum fuit; de  
 „ cetero haud tibi integrum esse repu-  
 „ tes, ut ea, quæ tibi superflua vi-  
 „ dentur, a necessariis separes, ac in-  
 „ super scias, quod eadem omnino li-  
 „ bertate, qua tuus Fecialis in Hispa-  
 „ nia utebatur, illa, quæ muneris mei  
 „ sunt, exequi, mihi quoque licitum sit:  
 „ aut saltem publicas mihi concede li-  
 „ teras, ex quibus negotii a me gesti  
 „ series nota fiat. „ Facta est Feciali  
 postremi hujus petiti copia, eidemque  
 valere jusso redeundi facultas, securita-  
 tisque literæ datæ sunt. Hic vero, ut  
 Domini sui Caroli Cæsaris honorem, ac  
 itineris sui rationem melius vindicaret,  
 per

*mnarent, ipsimet in se committerent.* Imo ipse  
 Imperator de Francisco Galliarum Rege hanc  
 pugnam subterfugiente dixit: *Optarem Gallo  
 vel plus audaciæ, & felicitatis, vel minus ver-  
 borum, & odii inesse.* Vide Palatium In vita  
 Caroli V. ad annum 1558. §. 593. fol. 600.

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1528.

Ant. Vera  
 l. cit. p. 155.

Sæc. XVI.  
A.C 1528

per integros tres quatuorve dies apud quemdam Galliarum Regis clientem summis precibus instabat, ut alloquii copiam obtinere posset, palam rursusque professus, quod in suis literis certaminis locum disertis verbis designatum haberet; hunc igitur Rex aut acceptet, aut promulgari permittat, quod declinatæ pugnæ contumelia nonnisi Galliarum Regis culpæ adscribenda sit. Ad hæc præfatus Francisci cliens hunc in modum respondit, demandato tibi negotio defunctus es, proin redire poteris; Rex ultra te audire renuit, si vero acrius instabis, te suspendio multari iubebit. Eodem tempore cliens patibulum erigi iussit, ut majorem Feciali timorem incuteret, eumque quam citissime reverti compelleret. Hic denique fuit exitus mutuæ hujus provocationis, quæ, ut inquit Mezerajus, non nisi ludicræ scænæ erant ad ostensionem Thrafonum eleganter elaboratæ, quæ denique in vanas atque inanes utrinque minas desinebant (\*).

*Mezeray ab-  
regé chronol.  
tom. 4. hist. de  
Francois 1.  
p. 346.*

§. XVI.

(\*) Hæc de coronatis Verticibus liberius dicta videntur; æquius sentiunt illi, qui Religione tactum Galliarum Regem literas, in quibus designatus erat certaminis locus, non acceptasse

## §. XVI.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1528.*Henricus VIII. bellum Flandris inferendum a Galliarum Rege incitatus.*

Nihilominus mutua, quibus ambo hi Principes flagrabant, odia non nisi funesta erant præfagia acerrimi belli, quod non modo in Italia, sed etiam in Belgio, Burgundia, atque in Pyrenæis montibus accendebatur. Ipse etiam Oceanus, ac mare Mediterraneum bellicis furoribus æstuabat. Præprimis Franciscus Galliarum Rex vehementer Henricum VIII. stimulabat, ut junctis cum eo viribus Flandriam tum militibus destitutam invaderet, ea lege, ut omnes urbes, quæ armis occuparentur, Angliæ Regis imperio adjungerentur, donec circa ea, quæ Hispani Anglis debebant, integra fieret compositio, postmodum vero ambo Reges hæc urbes æquis partibus inter se dividerent: Cum vero Angliæ Rex ex fœdere, quod nuper cum Belgis dissolverat, longe plus damni quam lucri percepisset, eo quod præcipui illius rēditus ex suorum subditorum

---

ceptasse asserunt; saltem Cæsar nullius ignaviæ infimulari potest, qui tempus & locum pugnæ indixit, non autem declinavit.

Sæc. XVI.  
A.C. 1528.

ditorum commercio cum Flandris provenirent, hanc vero negotiandi facilitatem sibi metipſi præcidere haud poſſet, quin ſeſe civilis belli periculo exponeret, hinc quadraginta dierum inducias poſtulabat, ut hujus moræ beneficio Mercatoribus commodum bona, quæ in Belgio habebant, extrahendi ſpacium concederet; poſtea vero propoſuit, quod Gallos inter & Belgas per octo Menſes armorum quies eſſet, nec his contentus, cum probe noſſet, quod Galliarum Rex præter aurum nullo alio magis efficaci medio ad acceptandas hæc inducias permoveri poſſet, hinc eidem ſpoſpondit, quod interea ad ferendas Italiæ belli expenſas triginta aureorum milia numeraturus foret, quam quoque ſummam Rex quantocius acceptabat.

## §. XVII.

*Lautreci copiæ reliſta Romandiola  
Neapolis Regno admotæ.*

*Mem. du  
Bellay lib. 3*

Jamjam Lautrecus potiffimam Mediolanensis Ducatus partem ſuis armis ſubjecerat, nulloque ferme negotio ipſam Metropolim imperio ditionique Regis ſui ſubjicere potuiſſet, niſi cunctas hæc urbes Franciſco Sfortiæ reddere, atque ad liberandum Pontificem Romam contendere juſſus fuiſſet, quamvis

vis vix Romandiolam intrasset, cum Sæcul. XVI.  
A. C. 1528.  
 jamjam nuncium acciperet, quod ipse-  
 met summus Pontifex libertatem suam  
 fuga redemerit, & Cæsarei comperto  
 Gallici exercitus adventu Roma exce-  
 ferint, ut Neapolis Regnum tuerentur.  
 Attamen sæva lues Cæsaris exercitum  
 tam ingenti strage absumperat, ut vix  
 una ex tribus partibus superesset, anno-  
 que evoluto nequidem inter milites  
 ducenti reperirentur, qui a divinæ vin-  
 dictæ supplicio exempti fuissent. Qua-  
 propter Cæsarei Belliduces omni ope &  
 consilio destituebantur, quo sese Fœde-  
 ratorum conatibus opponerent. Præ-  
 terea summus Pontifex, cum nondum  
 fœderi adscriptus esset, cui parti sua  
 studia addiceret, suspensus hærebat, mi-  
 nus tamen pacta cum Ferrariensi Du-  
 ce inita firmare, consultum censebat.  
 Equidem Venetis suggerebat, ut a Ra-  
 vennatensi districtu copias suas avoca-  
 rent; verum illi, cum in hanc ipsam di-  
 tionem haud infirmum jus sibi com-  
 petere contenderent, Papæ votis satis-  
 facere tergiversabantur; unde factum,  
 ut Lautrecus ad expeditionem, quam  
 susceperat, feliciter exequendam nul-  
 lam sibi repositam spem habere posset,  
 nisi in exercitu suo, cui ipse impera-  
 bat. Nihilominus tamen Ecclesiæ di-  
 tiones pertransibat cum octo millibus  
 Ger-



Sæcul. XVI. Germanorum peditum, quibus Valde-  
A. C. 1528. montius Comes præerat; ducebat e-  
 tiam Tendæ Comes tria millia Helve-  
 tiorum, quos ductore Burjejo tria Gal-  
 lorum peditum, necnon quatuor Vasco-  
 num millia sub Petri Navarri imperio  
 præter decem millia Italorum seque-  
 bantur, ex quibus omnibus plusquam  
 viginti octo bellatorum millium exerci-  
 tus conflabatur.

## §. XVIII.

*Apulia a Lautreco ferme subacta, &  
 Melphia urbs capta.*

*Bellay l. c.*

Exeunte mense Februario Aprutium  
 invasit Lautrecus, quem Ascolum,  
 Aquilæ, ceteræque omnes urbes portis  
 ultro apertis velut patriæ liberatorem  
 exceperunt. Cum vero Cæsarei, eo-  
 quod tormentorum apparatu destituti  
 essent, jam antea auffugissent, Gallici  
 exercitus Dux copias suas ad oram ma-  
 ritimam ducebat, unde sibi magis ex-  
 peditum reddebat accessum ad Apuliam  
 Dauniam, ubi octoginta aureorum mil-  
 lia accepit, quæ portorii nomine pro  
 mercibus evehendis Mense Martio in  
 hac Provincia solvebantur. Hanc pe-  
 cuniarum summam Lautrecus in rem  
 suam vertebat, cum Apuliam intraret;  
 quippe Sulmonensis civitas nequidem

ex-

exspectata deditiois denunciatione ul- Sæcul. XVI.  
 tronee se Gallis dederat, faciliq̄ue ne- A.C. 1528.  
 gotio totam hanc regionem sibi subje-  
 cisset Lautrecus, nisi Philibertus Cabil-  
 lionensis Aurasiā Princeps in quodam  
 eminenti loco, quem Trojensis urbis  
 tormenta tuebantur, castra posuisset, eo  
 fine, ut viam obsideret, per quam com-  
 meatus ex Bariensi & Sipontina urbe ad  
 Cæsareos advehebatur. Hunc tamen  
 Lautrecus inde propulsabat, totusque  
 Cæsaris exercitus sequenti nocte sine  
 omni strepitu castra movit, tamque tur-  
 bato ordine Neapolin contendit, ut cer-  
 ta clade prostratus fuisset, si Galli fu-  
 gientes infecuti fuissent; ast id minus  
 consultum Petro Navarro videbatur;  
 unde Lautrecus, cum hujus Belliducis  
 sententiam ceteris præferret, in Melphi-  
 tanæ urbis obsidione hærebat. Pro-  
 pugnabat hanc civitatem Joannes Ca-  
 racciolus cum tribus præsidiariorum  
 millibus, qui invicta equidem fortitudi-  
 ne obsidentium insultus sustinebant, ni-  
 hilominus secundo impetu devicti una-  
 omnes præter quatuor incolarum mil-  
 lia jugulati sunt. Captus etiam fuit  
 Melphiæ Princeps, ejusque conjux ac  
 liberi ad arcem fugientes sine repugnan-  
 tia sese victori dederunt: Cum vero  
 Cæsar pro redimendo hoc Principe ly-  
 trum pendere renueret, ipse Francis-  
Hist. Eccles. Tom. XXXV. E e cum

Sæcul. XVI. cum Galliarum Regem supplex adiens  
A.C. 1528. ab eo libertati restitutus est, in cuius be-  
 neficii memoriam usque ad vitæ suæ  
 finem Regi integra prorsus fide sua de-  
 vovit obsequia.

## §. XIX.

*Totum ferme Neapolis Regnum a  
 Lautreco subactum.*

*Guic. lib. 18* **M**elfitanæ urbis expugnatio tantum  
*Paul. Jov. in hist.* terrorem toti Neapolis Regno in-  
 cussit, ut mox Barulum, Tranium, Ve-  
 nusia aliæque circumvicinæ urbes sese  
 Lautreco subjicerent, eo quod Cæsarei sua  
 inde præsidia eduxissent. Harum urbium  
 exemplo permoti Capuenses, Nolani, A-  
 cerrani, & Aversani itidem deditionem  
 fecerunt; unde sola Regni Metropolis,  
 Manfredonia & Cajetta supererant, quæ  
 urbes in Cæsaris fide constantes per-  
 stiterunt. Cum igitur Ferrariæ Dux  
 præter hæc civitates in toto Neapolis  
 Regno nil ultra Imperatori reliquum  
 esse cerneret, adeo Hispanorum res, in-  
 clinante fortuna ad exitium spectare ar-  
 bitrabatur, ut filii sui cum Galliarum  
 Regis Sorore nuptias, quas hucusque  
 sub vario obtentu differebat, tandem  
 perficere festinaret.

Nec tamen diu fortuna Gallis pro-  
 pitia fuit; Lautrecus enim cum Vir  
 esset

esset ambitione, ac prospero rerum suc- Sæcul. XVI.  
 cessu inflatus, nimium incurrius haud A.C. 1528.  
 perpendebat, quod hosti cum toto exer-  
 citus sui robore aufugienti sat virium  
 adhuc supersit, dummodo Regni sui Me-  
 tropolin, ex qua sola toti Regno leges  
 ac jura dictare valebat, sibi subditam con-  
 servaret: Si enim Lautrecus presso pede,  
 totoque impetu fugitivos fuisset insecu-  
 tus, nullo ferme negotio eos ingenti  
 clade prostravisset, priusquam Metro-  
 polim ingrediendi spatium nacti fuissent,  
 præcipue, cum inter Arausis Principi-  
 pem exercitus Ducem, & neo-electum  
 Neapolis Pro-Regem acrior ferveret æ-  
 mulatio, ac Pro-Rex Principem ad ur-  
 bem admittere, ab initio haud parum  
 tergiversaretur. Verum ex adverso in-  
 tempestiva Lautreci cunctatio utrique  
 huic inimico sese reconciliandi spatium  
 indulgit, adeo, ut ambo cum duodecim  
 militiæ veteranæ millibus in urbe per-  
 sistere decernerent, ac residuam copia-  
 rum partem munitioribus Regni urbi-  
 bus imponerent. Inde vero Gallici  
 exercitus ruina ortum trahebat.

§. XX.

*Neapolis a Lautreco invasa, atque  
obsessa.*

Cum vero Lautrecus probe cognosce- Bellay lib. 3.  
 ret, quod Manfredoniæ, cui urbi Guicci. l. 6.

E e 2

Cæsa-

Sæc. XVI.  
A.C. 1528.

Cæsarei bis mille præfidiarios imposuerant, obsidione diu nimis detineretur, hinc nonnisi cum ducentis quinquaginta equitibus, ac mille quingentis pedibus eam cinctam tenebat, reliquam vero exercitus partem Neapolitanæ urbi admovit. Eo advenerat die prima Maji, moxque castra sua tam validis undique munimentis firmabat, ut inde nulla vi propellendum se crederet. Hac castrorum opportunitate delusus dudum suspensus hærebat, an urbem toto armorum apparatu aggredi, vel potius eam diuturnæ famis iniquitate ad ditionem compellere præstaret. In diversa abierunt Belliducum sententiæ; tandem vero Lautrecus, cum Moncadam Pro Regem cum copioso admodum præsidio urbi præesse perpenderet, illam inedia subigere statuit, ad capeffendum hoc consilium perinotus, partim quod Moncada nonnisi ad solita militum stipendia paratas haberet pecunias, partim quod obsessos brevi ob famis violentiam ad incitas redigi speraret, cum præter magnum obsessorum numerum urbs facile ducenta quinquaginta incolarum millia recenseret. Igitur duos, eosque præcipuos ad urbem aditus occludi, geminoque propugnaculo firmari iussit, quorum alterum ad paludes S. Magdalenæ, alterum vero e regione  
Montis

Montis S. Martini erectum fuit. Horum Sæcul. XVI.  
A.C. 1528.  
 primum mox Hispani aggrediuntur, sed tanta fortitudine repelluntur, ut de Gallorum virtute jam melius sentire inciperent, quam nuper in Papiensi prælio experti essent; nec tamen Hispani inde adeo animo fracti erant, quin protinus octavo post die alterum etiam propugnaculum, licet haud feliciori successu, subigere tentarent. Moncada, quem in Neapolitani Pro-Regis dignitate Lanoyo suffectum memoravimus, experiri nitebatur, num forte in expeditione maritima ejus conatibus benignior adspiraret fortuna; hinc sex triremes, duo grandiora navigia, quatuor naviculas tormentis instructas, plurimasque piscatorum cymbas præter mille Hispanos, ac ducentos milites Germanos admovit, ipseque triremem magis munitam conscendit. Hujus expeditionis curam cum Moncada partiebantur Vastius Marchio, Columna Connestabilis, Roenius Comes, pluresque alii Belliduces Cæsarei, adeo, ut solus A-rausisæ Princeps Neapoli persisteret.

## §. XXI.

*Auria in navali prælio victor, & Neapolis Pro-Rex occisus.*

Eo tempore Philippus Auria, Andreae ejusdem nominis Nepos in Salerni-

E e 3 tano

Sæc. XVI.  
A.C. 1528.

tano Sinu cum octo Gallicis Triremibus hærebat; cum vero Pro-Regi nunciatum esset, quod Auria, necnon & milites sui Ducis exemplo inducti non raro relictis navibus exscenderent, atque usque ad terrestres copias pergerent, hinc octo hæc Gallicas triremes clam opprimere statuit, huncque in finem sex navigia instruxit, eaque veterano milite munivit. Ast Auria a Lautreco de Pro-Regis consilio admonitus, classem suam firmavit, adjunctis quadringentis Sclopetariis, quos Gallorum Bellidux ductore Ducrocquo opportunè submiserat. Substitit Auria Capodorfi, cum eidem in conspectum venirent duæ Pro-Regis triremes, quæ fugam simulabant, ut hostem incautius insequentem ad altum pelagus attraherent. Auria vero quantocius tres ex suis triremibus procurrare iussit, ut extra omne periculum essent, ipse autem, ut obliquo cursu in Cæsareos irruere posset, cum ceteris quinque triremibus longius provehebatur; non sine prospero successu; primus enim tormenti globus ab Auria prætoria laxatus quadraginta Pro-Regis milites discerpserat; postea pertinaci cruentoque utrinque prælio confertæ manus, jamque ad sextam omnino horam mutua cædis aviditas flagrabat, tandem vero Moncada

occu-

occubuit gemino tormenti ictu percussus, quorum uno brachium, altero autem spina dorsi penitus confracta fuit. Sæc. XVI.  
A.C. 1528.  
Ejus quoque prætoria fluctibus hausta periit, unacum alia quadam navi, cui præerat Feramusca; cetera vero navigia fuere capta, victorumque furorem non nisi duo effugerant, quæ ventorum vi ad Neapolis portum delata fuere, a Gallorum tamen tormentis adeo undique lacerata, ut ægre admodum exonerari potuerint, priusquam penitus dissoluta submergerentur. Capti fuere Vastius Marchio, Ascanius & Camillus Columnenses, Princeps Salernitanus, Vaudrius, Rifiis, & Princeps S. Crucis cum pluribus aliis Nobilibus, bellicæ Præfectis. Nihilominus ob magnam hostium repugnantiam hæc ipsa victoria Gallis funesta accidit; quippe ex quadringentis illis Sclopetariis, quos Lautrecus submiserat, non nisi sexaginta incolumes rediere.

## §. XXII.

*Cæsar de clade exercitus ab Arausicæ Principe certior factus.*

Arausicæ Princeps accepto sinistri prælii nuncio Neapolim ab imbelli hominum multitudine exonerabat, militibus

E e 4                      vero



Sæcul. XVI. vero annonam pro necessitatis ratione  
A.C. 1528. distribuebat; cum vero haud abs re  
 pertimesceret, ne Pro-Regis obitus, & tot  
 fortissimorum militum clades, totque  
 navigiorum jacturæ apertam hosti ad  
 Neapolis expugnationem viam facerent,  
 præcipue cum plures Regni urbes, quæ  
 hucusque Cæsareis parebant, jamjam  
 Gallorum vexilla erexissent; hinc Prin-  
 ceptis missis ad Cæsarem Myoparone ei-  
 dem significari fecit, quod in nupero  
 navali prælio exercitatisissimi quique mi-  
 lites fuerint occisi, ceteri vero ferme ad  
 gerenda arma inepti essent, urbs e-  
 tiam Neapolitana haud ampliori fru-  
 menti copia, quam quæ ad semestre  
 sufficeret, instructa sit, aliunde autem  
 Germanis jamjam secreto indignantibus  
 res ad seditionem spectare videretur,  
 nisi Cæsarea sua Majestas brevi pro  
 numerandis stipendiis pecunias, & ad  
 repellendos Gallos militum supplemen-  
 ta submitteret; sine hisce enim suppe-  
 tiis abs dubio cum Francia de deditio-  
 nis legibus agendum foret, præcipue,  
 cum Germani, qui peste infecti Roma  
 Neapolin rediere, haud facile absterre-  
 ri valerent, quin cum ceteris versentur,  
 eosque eadem lue inficiant, proin fa-  
 cillime morbi hujus vi una omnes ab-  
 sumantur.

§. XXIII.

## §. XXIII.

Sæc. XVI.

A.C. 1528.

*Gallorum exercitus lue confectus.*

Quamvis Lautrecus hanc epistolam interceptisset, haud tamen plus egit, quam ut aquæductum, quo undæ in urbem decurrebant, abscinderet, nec sollicitus erat, ut simul canalem fieri juberet, quo aquæ in mare delaberentur; unde factum, ut per agros ubique diffusæ, nec ulla tamen proclivitate in unum locum decurrentes, brevi ob vehementiores solis ardores putrescerent, earumque fœtor adeo immaniter in Gallorum corpora grassaretur, ut totus exercitus assiduis exhaustus esset funeribus. Morbi enim inde contracti in pestilentiam degenerabant, simulque jgebatur obsessorum malitiâ, qui variis sub prætextibus ad Gallorum castra delati cisternas infecerunt, adeo, ut exeunte Mense Junio Lautrecus, qui & ipse tabifica lue afflatus erat, in exercitu suo antea viginti quinque millibus valido ægre quatuor millia recenseret, atque ex octingentis cataphractis circiter centum superstites haberet. Præterea navales copiæ, quæ sub Rencei Ceri & Andreæ Auriæ imperio in Sardinia Insula Hispanis subdita exscensionem fecerant, ibidem ingentem annonæ copiam

Ee 5      repe-

Sæcul. XVI. repererunt; cum vero milites diutina  
A.C. 1528. fame pene consumpti essent, tanta aviditate stomachos cibo potuque oppleverant, ut eadem lue inficerentur, quæ multiplicatis catervatim funeribus maximam exercitus partem depasta est.

## §. XXIV.

*Andreas Auria Gallis indignatus.*

Sub idem quoque tempus Andreæ Auriæ, qui ad Cæsaris castra transibat, perfidia extremum rebus Gallicis exitium attulit, perinde ac si pestilentia flagellum ad Gallos milites ingenti strage plectendos haud suffecisset. Hujus vero defectionis hæc causa fuit; quippe vix Gallicarum Triremium Imperium susceperat, cum illico ejus adversarii in illius interitum conjurarent; unde hi non raro ea negotia, quæ vi muneris sui exequi tenebatur, in belli Senatu perperam interpretabantur, nullamque eidem nocendi occasionem prætermittabant, adeo, ut brevi Regis animo sinistram de eo opinionem ingererent, atque ille Auriam velut hominem molestum, proprii quæstus studiosum, omnibusque refragantem aspernaretur. Haud ægre Auria insidias sibi parari cognoverat; quapropter cum Genuensibus pactum iniit, vi cujus Genua ejusdem

dem Patria plenæ restituatur libertati, Sæcul. XVI.  
A.C. 1528.  
 atque eidem Reipublicæ cunctæ reddan-  
 tur ditiones, quas a principio nuperi  
 tumultus in Italia possederat; ut vero  
 hujus foederis executionem eo magis  
 expeditam faceret, Genuenses eo indu-  
 xit, ut adimpletis pacti conditionibus  
 Galliarum Regi ducenta aureorum mil-  
 lia numeranda pollicerentur. Verum  
 ea res sub variis prætextibus semper in  
 Galliis longiores moras patiebatur; Sa-  
 vonam enim conservare, Galli summo-  
 pere exoptabant, eo quod hic portus na-  
 vigationis opportunitate Genuensem  
 longe superaret. Præterea ipsa victo-  
 ria, quam Philippus Auria Andreæ Ne-  
 pos nuper reportaverat, novum discor-  
 diæ fomitem inter ejus Patrum & Gal-  
 los subministrabat; Philippus enim Va-  
 stium Marchionem, Connestabilem Co-  
 lumnæ, ceterosque captivos Nobilita-  
 te generis magis conspicuos ad Auriam  
 transmisit, ut ex illis juxta nuperi fo-  
 deris leges lytrum perciperet; obstabat  
 tamen Lautrecus, qui jure belli captos  
 in Gallias transferri, atque ad Regem  
 reduci voluit. Ast Lautreci consilio Au-  
 ria constanter obsistebat, caussatus, pre-  
 tium pro horum libertate sibi deberi, ut  
 inde resarcire posset jacturam lytri, quod  
 ab Arausionensi Principe, quem duran-  
 te Papiensi obsidione in Portum-Delphi-  
 num

Sæcul. XVI. num captum abstraxerat, recepisset, nisi  
 A.C. 1528. is a Galliarum Rege libertati fuisset re-  
 stitutus.

## §. XXV.

*Langeius Auriam conciliandi animo  
 a Lautreco ablegatus.*

Sub idem tempus Guilielmus de Bel-  
 lay seu Bellicus Langeii Toparcha  
 Lautrecum, cujus castra sequebatur,  
 edocebat, quod Auria graviter de Gal-  
 lis quereretur, ac clandestina cum Ge-  
 nuensibus foveret consilia, ut Patriam  
 suam in pristinam libertatem assereret,  
 hancque in rem peteret, ut ei damnum  
 ob amissum Arausionensis Principis ly-  
 trum compensaretur, Genuensibus vero  
 tributum ex Sale percipiendi jus redde-  
 retur, quod illis Galli ideo ademerant, ut  
 hoc jure Savonnenses auferent. Ac-  
 cepto Nuncio Lautrecus nulla mora Lan-  
 geium ablegat, dato negotio, ut Regi  
 exponeret, quod rebus Gallicis in Ita-  
 lia nil magis necessarium sit, quam ut  
 Auria in Regis obsequio persisteret, nec  
 ex Gallorum invidia ad indignationem  
 concitaretur: cum vero Langeio optime  
 perspectum esset, totum difficultatis car-  
 dinem præcipue in eo versari, ut Au-  
 riæ animus Gallicorum Ministrorum ma-  
 levolentia exacerbatus mitigaretur, hinc  
 nil

nil magis consultum censebat, quam ut <sup>Sæcul XVI.</sup> Auriam placaret, priusquam Franciæ <sup>A.C. 1528.</sup> aulam accederet. Igitur Genuam contendit, ubi ab Auria, cui amicitia junctus erat, adeo benigne excipiebatur, ut eum in alio quam ejus Palatio diversari haud permetteret. Ibidem Langeius integro morabatur triduo, tantaque dexteritate iratum Auriae animum sedabat, ut is novum cum Francia foedus inire promitteret. Porro Langeius Auriam non dimittebat, donec ad Regis arbitrium de foederis conditionibus utrinque inter eos decretum fuisset. Post hæc Articulis utrinque firmatis Longeiuis equis cursoriis Lutetiam Parisiorum delatus Regis Senatui exposuit: quod ipse, priusquam Genua discederet, sua opera Auriae animum ad Gallorum studia & commoda optime propensum reliquisset, res tamen summis periculis obnoxia foret, si nova ei molestia afferretur. Postea sermonem deflexit ad articulos, quos cum eo sanxisset, ea tamen lege, ut Rex Salis commercium Genuensibus restitueret, Auriae vero circa captivorum lytra satisfaceret. Verum tanta erat apud Regem Montmorentii Marecalli auctoritas, ut ob privatos hujus Viri quæstus Langeii consiliis vix eluctandum impedimentum opponeret.

## §. XXVI.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1528.

§. XXVI.

*Barbezillus ad capiendum Auriam ejusque triremes emissus.*

Gubernabat Montmorentius Genuæ statum auctoritate Regis, a quo etiam ex Savonnenfi Salis tributo reddituum nomine quotannis decem aut omnino duodecim aureorum millia percipiebat. Cum igitur tanto lucro privari pertimesceret, cum Prato Cancellario clam egit, ut foederis pacta a Langeio delata coram Rege discuterentur. Cancellarius, qui Montmorentio adulabatur, conditiones ab Auria propositas, simulac de iis in Senatu agi cæptum, protinus rejecit, easque ludibrio dignas habuit, perinde acsi Auria Regi Domino suo leges præscribere attentaret; postmodum vero in Senatu decerni jussit, ut Auria supremo exercitus Imperio, privaretur, atque eidem Antonius Rupi-Fucaldius Barbezilli Toparcha sufficeretur, & in Mari Mediterraneo Archithalassi titulo honoraretur. Ergo is nulla mora Genuam ire jubetur, dato etiam negotio, ut Auriam, omnesque ejus triremes caperet. Verum adeo clam res haberi haud poterat, quin Auria totam negotii seriem articulatim edoceretur; unde Savonna, ubi tum agebat, Genuam

am se recepit, ubi eum Barbezillus in-  
 visit hac super re collaturus. Nec pe-  
 titam alloqui copiam denegabat Auria,  
 solerter tamen, ne dolo caperetur, se-  
 curitati suæ quantum valuit, præca-  
 vebat, simulque Barbezillo hæc signifi-  
 cari jubebat, mihi haud incognita est  
 demandati negotii summa, in ejus tamen  
 executione obstacula expectatione tua  
 longe majora offendes; tibi quidem in  
 mandatis datum, ut me, measque trire-  
 mes abduceres: ast nihil a me tibi me-  
 tuas, quantum vero ad triremes, re-  
 tine tuas, illas vero, quæ Regis sunt,  
 haud gravate remittam.

§. XXVII.

*Auria relictis Gallorum studiis Cæ-  
 saris fidem professus.*

Absoluto hoc colloquio admodum bre-  
 vi, Auria ad Delphini-Portum se-  
 cessit, atque ultimam manum admovit  
 foederi, quod cum Cæsare sub conditio-  
 nibus oppido proficuis inire cæperat,  
 pacem conciliante Vastio Marchione,  
 qui Auria, cujus olim captivus erat,  
 nomine suæ Cæsareæ Majestatis omni-  
 um classium, quas Augustissima Domus  
 Auftriaca haberet, supremum Imperi-  
 um obtulit, promisitque, Genuentes li-  
 bertati restituendos, eisque rursus Sa-  
 von-

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1528.

Guic. l. 19.  
 Mem. du Bel-  
 lay l. 3.  
 Aug. Just.  
 lib. 6.  
 Raynald. ad  
 hunc an. n. 10.



Sæcul. XVI. vonnenses esse subjiciendos, quamprimum ambæ hæ urbes Gallorum potestati ereptæ fuissent. Insuper eidem spondit, præter sexaginta aureorum millium pensionem Melphitano Principatu honorandum. Hæc Principis Auriæ ad Cæsarem defectio eidem Neapolis Regnum feliciter conservabat; quippe Barbezillus, ut Genuensem oram a tam potenti hoste tueretur, ejusque securitati prospiceret, longam admodum moram Savonnæ trahere, ac præter quingentos pedites Gallos mille ducentos Germanos, ut Genuam auctiore præsidio muniret, in terram exponere compellebatur, quamvis has copias antea ad Lautrecum adducere jussus esset, eo quod illius exercitum lues indies magis ingravescens, ac diuturna pecuniæ inopia perderet. Præterea Barbezillus tres ferme hebdomadas in recuperanda civitate veteri a summo Pontifice detinebatur: cum tamen in hac Gallicarum rerum desperatione nil magis necessarium fuisset, quam ut recta Navarræ Principem Henrici Navarræ Regis fratrem unacum suppetiis, quas adduxerat, Neapolin deferret. Harum cunctationum beneficio Philippus Auria cum octo suis triremibus Neapolitanæ Urbi propius accedendi, eidemque commeatus copiam subministrandi spacium nanciscebatur, ipse

ipſus quoque Andreas Auria, cum de-  
fectionem ſuam occultare haud ultra  
ſollicitus eſſet, propalam, atque in con-  
ſpectu totius Gallici exercitus cibaria in  
urbem importabat.

Sæcul. XVI.

A.C. 1528.

## §. XXVIII.

*Gallorum exercitus aſſidua peſtilentia  
conſumptus.*

Tandem militum ſupplementa, quæ  
Lautrecus ſperabat, ac anxiiſ curis  
præſtolabatur, advenerant; verum hæ  
ſuppetiæ nonniſi ad mille octingentos  
bellatores aſcendebant, quibus inſuper  
præſidiarios milites Nolam uſque obvici  
mittere oportuit, eo quod tempeſtatum  
vi propius accedere prohiberentur, non  
ſine fatali Gallorum fato; quippe hæc  
præſidiariorum manus a Cæſareis peni-  
tus proſtigata fuit, tantoque furore pe-  
ſtilentiæ viſ tum maxime ſæviebat, ut  
ineunte abhinc Menſe Auguſto jamjam  
ex toto Gallorum exercitu vix tertia  
pars ſuper'eſſet. Non equidem deerant,  
qui Lautreco perſuadere nitebantur, ut  
ad declinandam peſtiferam aeris intem-  
periem ſeſe Capuam, aut alibi cum ſuis  
reciperet; verum pertinaciſſimæ obſi-  
dionis pœnas proprio ſuo exitio dedit.  
Hanc vero obfirmati animi ſui cauſſam  
allegabat, quod Regi ſcripſiſſet, ſe Nea-

*Hift. Eccleſ. Tom. XXXV* F f poli-

Sæcul. XVI  
A.C. 1528.

politanos brevi ad deditiōem compulsurum; hinc jam de honore suo, datæque fidei Religione ageretur. Ast eum nimia promittendi facilitate excessisse, eventus docuit; quippe Gallorum castra primo in valetudinarium, demum vero in mortuorum cæmetrium conversa videbantur, ac Valdemontii Comes, qui solus exercitus Imperio idoneus Lautreco succedere potuisset, ex Nobilibus primus lue infectus periit. Hujus obitum brevi sequebantur Carolus Nothus Navarræ Regis frater, Camillus, Trivultius, pluresque alii generis nobilitate clarissimi. Pari morbo, fatoque Lautrecus succubuit, mortuus nocte inter decimam quintam & decimam sextam media hoc anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo.

§. XXIX.

*Odeti Fuxi Lautreci Toparchæ obitus.*

Enimvero Lautrecus obitu suo demonstrabat, haud immerito ab Hispanis eidem persæpe exprobratum, quod maluerit proprii judicii impetum sequendo deviare, quam aliorum consiliis acquiescendo rectam semitam calcare. Ceterum corpus ejus Neapolin delatum in quadam cella vinaria includebatur, ubi  
abs

abs dubio sepultura caruisset, nisi vige-  
 simo octavo post anno quidam Nobilis  
 Hispanus, ejus ossa, quæ ab illius fa-  
 mulis in quodam vilissimo tumulo recon-  
 dita fuere, honorifica sepultura deco-  
 rasset. Hic enim Neapoli in Ecclesiæ  
 Sanctæ Mariæ Novæ in Sacello Sueffiæ  
 Ducis valde magnificum extrui curavit  
 ex marmore monumentum, cui inscul-  
 pta legitur latina hæc Inscriptio:

Sæcul XVI.  
 A. C. 1528.

Paul. Jov.  
 in Elog.  
 Brantome  
 dans l'eloge  
 de M. Laur.  
 Mem. du  
 Bellay l. 3.

*ODETO FUXIO LAUTRECO.*

*Gonsalvus Ferdinandus filius Ludovici  
 Corduba,*

*Magni Gonsalvi Nepos,*

*Cum ejus ossa, quamvis hostis, ut belli  
 fortuna tulerat,*

*Sine honore jacere comperisset,  
 humanarum miseriarum memor,*

*ita*

*In avito Sacello, Duci Gallo Hispanus  
 Princeps posuit.*

Porro uxorem habuit Lautrecus Ca-  
 rolinam Albretam tertio genitam Joan-  
 nis de Orvalio filiam, ex qua præter  
 Gastonem, Franciscum, & Henricum  
 filios, qui juvenili admodum ætate de-  
 cesserant, filiam quoque suscepit Clau-  
 diam de Fuxo, quæ prius Guidoni Val-  
 lis-

F f 2

lis-

Sæcul. XVI. A.C. 1528. lis - Guidonis Comiti, postea vero fecundis nuptiis Carolo Lucemburgico Martigiensi Vice-Comiti copulata fuit. Defuncto summus Pontifex Romæ, Franciscus vero Galliarum Rex Parisiis in Ecclesiæ B. V. sumptuosissimis exequiis parentavit.

## §. XXX.

*Galli soluta Neapolis obsidione Aver-  
sam profugi.*

Guicc. l. 19. Paul. Jov. hist. lib. 28. Belcar. l. 20. Raynald. num. 10. **L**autreco vivis erepto Salutarum Marchio subrogatus, Gallici exercitus reliquiis imperabat, atque inter primas muneris curas habebat, ut Renceio de Ceris necnon Melphitano Principi literas daret, quibus eisdem injungeret, ut cum copiis accurrerent, suamque operam ad solvendam Neapolis obsidionem jungerent. Eo tempore Melphitanus Cajetam tam arcta obsidione presserat, ut cives pene ad incitas redegisset, nisi Auria duodecim triremibus instructus urbi commeatum intulisset. Nihilominus tamen Salutarum Marchio Melphitani adventum haud præstolabatur, sed quantocius concubia nocte castra movit; cum vero fugam adeo clam arripere haud posset, quin id Cæsareis innotesceret, hinc præsidarii milites ex urbe Neapolitana una omnes eruperunt, cun-

cunctosque Gallos, qui in castris ad co-<sup>Sæcul. XVI.</sup>  
gendum agmen remanserant, arma in <sup>A C. 1528.</sup>  
manibus gestantes trucidarunt, ceteros  
vero milites, ac Belliduces ordine in-  
feriores captos abstraxerunt; quos in-  
ter & ipse Petrus Navarrus, qui postre-  
mæ huic aciei præerat, numerabatur.  
Hic tanti nominis Bellidux Piscayæ in-  
fimo loco natus meritorum suffragio ad  
supremas militiæ dignitates ascendit,  
primusque fuit, qui cuniculos agendi  
artem adinvenit; quamvis nonnulli Scri-  
ptores testentur, jam ante Navarri tem-  
pora apud Genuenses hujus artis usum  
invaluisse.

## §. XXXI.

*Petri Navarri obitus.*

Anno Christi millesimo quingentesimo  
duodecimo Navarrus in prælio Ra-  
vennatensi a Gallis capiebatur, longo-  
que tempore in captivitate sua langue-  
bat, quin tamen Hispani, ut ei liberta-  
tem procurarent, solliciti essent; unde  
ingratam hanc Nationem, cui tam præ-  
clara præstitit obsequia, exosus Franci-  
sci Galliarum Regis stipendia merebatur,<sup>Paul. Jov. in elog.</sup>  
eique usque ad annum Christi millesi-<sup>Alvar. Go-  
mez hist. l. 4.</sup>  
mum quingentesimum vigesimum quin-  
tum, quo captus, inviolabili fide sua  
addixit studia. Attamen Hispani, ut  
<sup>Brantome vie des Capi-  
tain. estrang.</sup>  
ejus

Sæcul. XVI.  
A.C. 1528

ejus defectionem plecterent, vinculis onustum in eandem Neapolis arcem destruserunt, in quam viginti octo abhinc annis Hispanos dexteritate sua introduxerat.

Referunt Scriptores, Navarrum jussu Caroli V. laqueo interemptum fuisse, quamvis non desint alii, qui eundem noctu geminæ vestis stragulæ operimento suffocatum existiment. Denique alii eum tædio consumptum obiisse affirmant. (\*) Corpus ejus Consalvus Ferdinandus Sueffiæ Princeps Neapoli in Ecclesia S. Mariæ Novæ sepeliri curavit, ejusque monumento sepulchralem inscriptionem addi curavit, cujus ultima verba sunt hæc: *Etiam virtus in hoste laudatur.*

§. XXXII.

(\*) De Navarri obitu Paulus Jovius ita scribit: *Cum Aurantius victor Andegavensis factionis aliquot Proceres jussu Cæsaris securi percussisset, & eadem pœna Navarro bis rebeli, bisque capto immineret, eum lethali affectum morbo custos arcis tanquam Hispano homini, & rebus in Africa adversus Barbaros gestis inclyto hoc indulgebat, ut parva mora tanquam propinqua jam morte parati carnificis manus elaboreretur; quamquam non desiat, qui eum extrema instantis fati suspiria trahentem stragulæ vestis operimento suffocatum existiment.*

## §. XXXII.

Sæcul XVI.  
A.C. 1528.*Galli Aversam profugi, ibidemque a  
Cæsareis obsessi.*

Sub idem tempus Salutarum Marchio unacum Gallis, qui in nupera clade victorum gladios effugerant, in Aversana urbe salutis latebram quærebat; verum quantocius ibidem non modo a Cæsareis obsidione cinctus est, sed etiam, cum muri ruinam lustraret, suisque militibus animum addere niteretur, ex lapidis jactu grave vulnus dextro genu accepit. Cum autem hoc fato haud amplius gerendo exercitus Imperio idoneus esset, ne sui quoque milites vexilla desererent, vehementer pertimescebat; quocirca cum hoste de honestis deditio- nis conditionibus agere compellebatur, priusquam ad Cæsareos accepti vulneris fama emanaret. Igitur hunc in modum deditio- nis pacta perscribuntur. I. Obsessi cuncta arma, equos, ac vexilla Arausiae Principi supremo Cæsarei exercitus Duci relinquent. II. Omnes Tribuni, locum-tenentes, Vexilliferi, Cataphracti, ac levioris armaturæ Equites nonnisi unicum equum ac mulum secum deferre permittentur. III. Italici per integrum trimestre Galliarum Regis stipendia mereri non lice-

*Mem. du Bel-  
lay l. 3.*

F f 4

bit,



Sæcul. XVI.  
A.C. 1528.

bit, Galli vero, Vascones, Helvetii, Germani pedites, ceterique milites ex-  
teri in patriam suam secedent, nec ul-  
lam stationem in Italia facere poterunt.  
IV. Hos tamen Arausiae Princeps us-  
que ad Provinciarum suarum fines sub-  
tuto præsidio conduci curabit, quin in  
itinere molestia affici queant. V. Sa-  
lutarum Marchio ceteras urbes, quas  
Galli adhuc tenent, auctoritate sua com-  
pellet, ut sese Principis Arausionensis  
potestati tradant, ipse vero jure belli  
captus Neapoli permanebit. Firmata  
fuere hæc deditio die trigesima  
Augusti. Post hæc Arausiae Prin-  
ceps victor Averfam ingreditur, ibidem-  
que Pomperanum, qui in urbe relinque-  
batur, invisere voluit, quem tamen jam-  
jam fatis functum repererat. Hic idem  
est, qui olim seditione facta Borbonii  
Ducis signa sequebatur, ac Franciscum I.  
Galliarum Regem, cum in Papiensi prælio  
captus erat, e vitæ periculo eripiebat.

§. XXXIII.

*Excidium Gallici exercitus in Italia.*

Capta urbe Melphitanus Princeps &  
Renceus Cerius contractis copiis  
Barulum, ac in alias urbes maritimas  
sese receperunt, in quibus sese contra  
omnes Cæsareorum insultus usque ad  
Came-

Cameracensem pacem strenue tueban-<sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 tur. Horum quoque constantia quo-<sup>A. C. 1528.</sup>  
 dammodo militibus Gallis saluti fuit;  
 quippe eorum quam plurimi ex Aversana  
 urbe egressi ad eos confugerant, nec  
 pauci eorum triremes conscenderunt,  
 alii vero Romæ morabantur; paucissi-  
 mi tamen in Gallias redeundi opportu-  
 nitatem habebant. Porro Aversa ca-  
 pta cunctæ Neapolitani Regni urbes  
 Gallorum jugum eadem rapiditate ex-  
 cusserunt, qua ab eis paulo ante occu-  
 patæ fuerant. Hoc tandem fuit fatale  
 exitium Gallici, tamque copiosi exerci-  
 tus, qui olim cum Alpes superaret, u-  
 niversæ Italiæ terrorem incusserat, nunc  
 vero penitus a Cæsareis dissipatus eva-  
 nuit. Tantæ ruinæ causa adscribitur  
 sui Belliducis imprudentiæ, eoquod ip-  
 se pertinaci prorsus studio Neapolis ob-  
 sidionem prosequi statuebat, spreto po-  
 tissimorum aliorum Belliducum consilio,  
 qui exercitum peste vix non absumptum  
 cernentes obsidionem omnino solven-  
 dam esse censebant. Haud levis etiam  
 tanti exitii causa extitit ipsa Francisci  
 Galliarum Regis imprudentia; hic enim  
 posthabito veri commodi studio pecu-  
 nias, quas in Neapolis expugnationem  
 vertere potuisset, partim ad solitas vo-  
 luptates suas, partim etiam ad fabricam  
 arcis Madritensis, quam non procul a

F f 5

Pari-

**Sæcul. XVI.** Parisina urbe construxit, impendebat, **A.C. 1528.** haud ultra memor, quod olim ob æqualem, ac superfluum pecuniarum profusionem iniquissimo tempore factam de toto Mediolanensi Ducatu expulsus fuerit. Ita brevi res Italiæ, quæ sub primis belli auspiciis Gallis admodum prospere succedebant, tanta vicissitudine penitus inclinatæ erant, ut in tota ferme hac Regione totaque Genuensi, & Mediolanensi ditione vix ulla urbs amplius Regis dominio pareret.

## §. XXXIV.

*Fœderatorum oscitantia in restaurandis Gallorum rebus.*

**E**quidem Fœderati deperditas Gallorum res restaurare potuissent, si opportune usi fuissent Brunsvicensium militum perfidia; Dux enim, ut Cæsareis pro tuendo Neapolis Regno suppetias ferret, nuper decem millia peditum, ac sexcentos Lancearios adduxerat, ast ex his non pauci sine missione a castris discesserant. Jamjam Brunsvicensis Dux usque ad Veronnensem ditionem processerat, eum tamen Antonius de Leva in Longobardia detinebat, spe facta, se prædam, quam ex captis urbibus colligerent, inter ipsos partituros, hinc demum copias suas jungebant, ut

Lau-

Laudam expugnarent; cum autem Hispani prope muri ruinas trium horarum pugnam sustinerent, tandem vero inde pedem referre compellerentur, Germani quoque milites ob æris militaris inopiam a signis delapsi sunt, quapropter Dux obsidionem solvere compulsus est. Eo tempore Franciscus Borbonius S. Pauli Comes adhucdum recensebat quingentos Cataphractos, totidemque levioris armaturæ equites, quibus Annebotus præerat; insuper Lorgius natu major Montgomerini Ducis filius præter quatuor Germanorum millia exercitum sex millium peditum Gallorum ducebat. Postquam igitur Brunsvicensis Dux secesserat, Comiti sancti Pauli liber aperiebatur aditus ad Neapolitanam urbem, ad quam etiam ante Lautreci obitum pervenire potuisset, nisi nominis sui gloriam longe magis augeri credidisset, si Mediolanensem Ducatum armis suis recuperaret, quapropter in Longobardia intempestive substitit, ac Venetorum & Sfortiæ copias suis militibus adjunxit, eo fine, ut Antonium de Leva inopinato opprimeret. Hic vero, quamvis pecuniarum inopia laboraret, ac nonnisi octo bellatorum millibus stipatus esset, nihilominus tamen sine suorum dispendio sese hostibus suis subduxit, eo quod fœderati, qui eum aggredi

Sæcul. XVI.  
A.C 1528.

di

Sæcul. XVI. di debuissent, diu nimis hac de re deli-  
 A.C. 1528. berarent, ac ante omnia Viglebanum,  
 & Papiam recuperare vellent.

## §. XXXV.

*Genua ab Auria pristinae libertati  
 suae reddita.*

*Mem. du  
 Bellay lib. 3.*

Cum igitur Foederati utriusque urbis  
 obsidione frustra tempus tererent,  
 Andreas Auria interim opportunum Ge-  
 nuense flumen relegendi spacium nanci-  
 scebatur, nihilque intentatum relinque-  
 bat, ut Genuenses sibi devinciret; nec  
 id ægre obtinuit; cum enim plurimos  
 in urbe fautores atque amicos numera-  
 ret, eos in odio, quod in suos rectores  
 conceperant, sedulo firmabat, populo  
 autem exponebat, quod eidem Galli  
 nonnisi nudum Reipublicæ nomen relin-  
 querent, sibi vero plenam Imperii au-  
 ctoritatem arrogarent. Nobilibus au-  
 tem ante oculos ponebat pristini regi-  
 minis prærogativam, qua hucusque  
 semper potiebantur. Denique cum ip-  
 sum minime lateret, quod Galli præsi-  
 diarii, quorum quartam partem pestilen-  
 tia absumpserat, in arce stationem age-  
 rent, urbemque vix non milite destitu-  
 tam relinquerent, hinc cum suis trire-  
 mibus urbi appropinquavit, ac nonnisi  
 suorum quingentos aut forte sexcentos  
 ex-

exscendere iussit. Vix Barbezillus ho- Sæcul. XVI.  
 rum adventum compererat, cum illico A.C. 1528.  
 toto remorum nisu Savonam fugeret,  
 veritus, ne conjuratione in urbe facta  
 ejus triremes interciperentur. Auria  
 hac Gallorum fuga fretus, impune clas-  
 si Gallicæ recessum permittit, suos ve-  
 ro milites in terram exponit, aciemque  
 instruit; cum autem ejusdem fautores  
 urbis portas adventanti aperuissent,  
 mox præcipuas stationes occupavit, ac  
 nomine Cæsaris Genuam ne quidem  
 stricto ad pugnam ense suæ potestati sub-  
 jecit. Urbe capta Theodorus Trivul-  
 tius illius Gubernator sese ad arcem re-  
 cepit, quam tamen exeunte Mense O-  
 ctobri ignominiose dedere compulsus est.  
 Gallis adeo feliciter Genua expulsis,  
 Auria quantocius Nobiles congregabat,  
 eisque Reipublicæ regimen deferebat,  
 præscripta gubernandi norma, quæ ho-  
 die adhuc ibidem viget. Maxima erat  
 Reipublicæ ad tantam Auria prudenti-  
 am admiratio, unde eidem in obsequii  
 præmium statuam erigebat, ac Patrem  
 Patriæ, libertatisque vindicem pro-  
 clamabat.

## §. XXXVI.

*Mediolanenses atrocibus Antonii Le-  
 væ exactionibus oppressi.*

Equidem Comes sancti Pauli Papien-  
 sem

Sæcul XVI fem urbem suis subjecit armis ; nihilo-  
A.C.1528. minus viribus impar Savonnæ opem fer-  
 re haud poterat, quam urbem Moret-  
 tus ejusdem Gubernator Genuensibus  
 per summam ignaviam tradidit, unde  
 altera ex parte Comes victoriarum cur-  
 sum sistere compellebatur, quamvis  
 Biagrassam, oppidum S. Georgii, Mon-  
 zam, & Comum in Mediolanensi Du-  
 catu ultronea deditioe accepisset, eo-  
 quod Antonius de Leva ex hisce urbi-  
 bus ad firmandum Mediolanum præsi-  
 diarios milites eduxisset. Ceterum hic  
 Bellidux acrius quam unquam pressus  
 ad extrema prorsus remedia descendit,  
 ita ut illorum exempla sat pauca nobis  
 suppeditet Historia: Adeo enim Anto-  
 nius Leva summis Mediolanensium ci-  
 vium miseriis, aliarumque urbium ca-  
 lamitatibus non movebatur, ut etiam  
 inde novum subditos vexandi obtentum  
 quæreret; edicto enim cavit, ne quis  
 frumentum, quod in horreis erat, aut  
 in urbem inferebatur, venderet, illud  
 vero ipse exploratæ fidei Pistoribus di-  
 stribuit, ea lege, ut inde panem coque-  
 rent, & quamlibet portionem pro unius  
 aurei pretio venderent. Unde factum,  
 ut pauperes fame mori cogerentur (\*),  
 cum

(\*) Hæc a Continuatore plus justo exag-  
 gerata narrantur, vel ut dolorem ex Gallorum  
 exitio

cum soli divites panem emendo pares  
essent. Cæsar, quamvis immodicam  
hanc vexationem edoctus esset, nullum  
tamen malo remedium opposuit, eo-  
quod non modo pecuniarum subsidiis  
egeret, sed etiam carnalis prudentia  
omnino humanitatis ac miserationis sen-  
sus, quos pietas inspirare potuisset, ex-  
tinque-

Sæcul. XVI.  
A.C 1528.

exitio conceptum temperaret, vel ut Carolo  
Cæsari, necnon Domui Austriacæ pro more suo  
invidiam conciliaret; si enim urbs ad extremas  
fuit redacta angustias, id ideo factum, ne cum  
publico damno, ac totius alicujus Regni jactu-  
ra urbs in hostis potestatem veniret: verum a  
Gubernatoribus urbis obsessæ talia vel similia  
fuisse facta, rerum bellicarum Scriptores innu-  
mera recensent exempla: pauperes vero ob Le-  
væ edictum fame fuisse necatos haud credi po-  
test, eoquod urbs extremam annonæ inopiam  
nondum passa videatur, cum juxta ipsum Continu-  
atorem frumentum in urbem inferri adhuc po-  
tuerit, & juxta Masenium pro modis singu-  
lis tres tantum numerarentur aurei, proin pau-  
peres aut divitum eleemosinis, aut aliis cibis,  
qui vel urbi inferrebantur, vel aliunde ob lon-  
gioris obsidionis necessitatem a pauperibus com-  
medi solent, vitam suam sustentare potuerunt,  
præcipue cum Continuator hujus cædis paupe-  
ribus illatæ nullum omnino testem alleget; im-  
merito igitur piissimus Cæsar pietatis sensum ab-  
jecisse insimulatur.



Sæcul. XVI tinqueret. Hac ratione Italiæ bello Cæ-  
A.C. 1528. sare m inter & Galliarum Regem finis  
 imponebatur, quorum uterque labori-  
 bus fracti pace anno sequenti Camera-  
 ci inita sese reconciliabant.

## §. XXXVII.

*Continuatio Historiæ de divortio Hen-  
 ricæ Angliæ Regis.*

*Vide supra*  
*L. CXXXI.*  
*§. 59.*

*Burnet hist.*  
*de la Refor.*  
*d' Anglet. t.*  
*I. p. 78.*

**H**enicus Angliæ Rex vehementer  
 querebatur de conditionibus, qui-  
 bus summus Pontifex suum diploma de  
 Regis divortio restringebat, quapropter  
 Georgio Casalio, qui Romæ apud Pa-  
 pam legatione fungebatur, negotium da-  
 bat, ut Bullam peteret, quæ minus am-  
 biguis verbis concepta esset. Hac su-  
 per re Casalius frequens cum Papa col-  
 loquium habuit, verum, si Burneto fi-  
 des adhibenda, Sanctitas sua hunc in  
 modum Legato respondit: „ Rei decisio  
 „ in Henrici arbitrio posita est; aut e-  
 „ nim vi potestatis jamjam demandatæ,  
 „ aut auctoritate Volsei Legati causæ  
 „ iudicium prosequi necesse est. Si Rex  
 „ salva Religione in priori connubio suo  
 „ persistere non audet, non opus fuis-  
 „ set cum tanta populi offensione publi-  
 „ cam extorquere sententiam; nullus  
 „ enim Theologorum, prosequeretur  
 „ Pontifex, melius quam ipse Rex de-  
 „ cide-

„ cedere potest , utrum ejus matri- Sæcul. XVI.  
 „ monium sit validum , vel non. A.C. 1528.

„ Quamprimum igitur lata erit senten-  
 „ tia, Rex Dominus noster ad secun-  
 „ das nuptias transire poterit, eodem  
 „ tamen tempore a nobis exorare de-  
 „ bet, ut Legatum mittamus, qui hoc  
 „ conjugium confirmet; longe enim fa-  
 „ cilius est negotium jamjam peractum  
 „ ratum habere, quam prompte deci-  
 „ dere litem, quæ contra Curix nostræ  
 „ leges instituta est; quippe Catharina  
 „ abs dubio reclamabit adversus judi-  
 „ cii locum, utpote non liberum, nec  
 „ non contra Judices tanquam suspe-  
 „ ctos; tum vero Ecclesiæ legibus ad-  
 „ stringimur, ut Regi inhibeamus, ne  
 „ secundas ineat nuptias, donec caussa  
 „ penitus discussa esset, simulque com-  
 „ pellimur, ut totum negotium ad no-  
 „ stram Curiam evocemus. Præterea  
 „ multæ occurrunt solemnitates, quas  
 „ in sententiis a Curia Romana latis  
 „ omnino adhibere necesse est, inde ve-  
 „ ro res longius protrahetur; si vero  
 „ sententia in Anglia pronunciabitur,  
 „ ac Rex nulla mora aliam ducet uxo-  
 „ rem, non deerunt nobis rationes, qui-  
 „ bus nostrum agendi modum vindica-  
 „ re poterimus, si negotium jam pene  
 „ absolutum confirmare voluerimus:  
 „ tum vero Londinum ablegabimus  
*Hist. Eccles. Tom. XXXV. G g* „Car-

Sæcul. XVI., Cardinalem, quemcunque feligere  
A. C. 1528., Angliæ Regi placuerit.,

## §. XXXVIII.

*Quæstio, an Papa in spem obtinendæ dispensationis Henrico aliam conjugem ducere suaserit?*

**I**ta equidem Burnetus(\*) Papam loquentem introducit, verum hunc sermonem sine ullo fundamento mere confictum esse patet; quam enim ob rationem Henricus his Papæ monitis in rem suam haud utebatur, cum tamen usque adeo propensum ad ejusmodi consilia suæ causæ tantopere propitia gereret animum, ut etiam per Batoniensem Episcopum, qui ejus nomine apud Franciæ Regem Legatum agebat, interrogaret, an sine animæ suæ nocumento dubium de suo matrimonio movere posset? Referunt etiam Historicorum nonnulli, quod Rex consilium sibi a Casalio propositum in tendiculæ sibi a Papa structæ numero locoque duxerit, ac ferio

---

(\*) Supple, natione scotus, & secta Hæreticus, qui pro more suæ gentis totus in eo erat, ut propudiosum Henrici VIII. divortium honestet, totamque culpam in ipsius Papæ consensum rejiciat, cujus tamen rei falsitas ex ipsius auctoribus coævus manifeste patet.

rio secum perpenderit, absque fori stre- Sæcul. XVI.  
 pitu ejusmodi causam nullo pacto diju- A.C. 1528.  
 dicandam, eoquod ipsius etiam Regi-  
 næ rationes excipere omnino necessa-  
 rium esset, atque sententia, antequam  
 Regina audiretur, & se defendere pos-  
 set, neutiquam valeret. Præterea si  
 Rex hoc consilium fuisset secutus, tunc se  
 se penitus Papæ arbitrio reliquisset, qui,  
 ut censent Juris Pontificii Doctores, non  
 minus Legati sententiam, quam connu-  
 bium vi hujus contractum confirmare,  
 omnino recusare potuisset. Verum ad-  
 huc graviora occurrunt argumenta, quæ  
 prætensum hoc Papæ consilium a Ca-  
 salio propositum nulla veritatis similitu-  
 dine firmari demonstrant; quippe unus  
 alterque cursor e vestigio sequebatur,  
 & singulis ferme diebus hac super re  
 nova excogitabantur consilia, vixque  
 in unam sententiam abire Patres, cum  
 illico, quæ paulo ante decernebantur,  
 revocata fuerunt. Staphyleus, qui Ro-  
 manæ Rotæ Auditorum Decanus erat,  
 eodemque tempore in Anglia agebat,  
 divortii causam cognoscere jubetur,  
 mox tamen Urbevetum, ubi Papa mo-  
 rabatur, proficisci præcipitur, idem-  
 que præter mandata publica secretis  
 etiam consiliis ad rem idoneis instruitur.  
 Paulo post Casalio datur negotium, ut  
 a Pontifice alium Legatum, doctrina;  
 G g 2 morum-

Sæcul. XVI  
A.C. 1528

morumque facilitate præclarum, atque a proprii quæstus cupiditate alienum Volfæo Cardinali adjungi peteret (\*).

§. XXXIX.

*Staphileyus, Gardinerus, & Fuxius  
hac in caussa Romam ablegati.*

Vix Staphileyus Urbevetum contendere parabat, cum illico eum Regis jussu Stephanus Gardinerus Doctor, quem Volfæus ab Epistolis habebat, necnon Eduardus Fuxius supremus Regis Sacellanus sequerentur. Ambo se Staphyleo adjungere, ac importunis etiam precibus, minisque Papam urgere jubentur, ut ea, quæ Rex petebat, concedi impetrarent. Tribus hisce Oratoribus diversa prorsus erat indoles; quippe Staphileyus in Romanæ Curia negotiis jam dudum senescebat, ac ceteroquin Vir erat suspiciosus, asper, ac ingenii parum docilis, aliunde vero Henrico Regi plurimum addictus, summo opere autem Carolo Cæsari infensus:

Gar-

---

(\*) Hanc in rem consulendus est Pallavicinus, qui in libro 2. cap. 15. n. 17. suæ Hist. Conc. Trident. egregie confutat commentum eorum, qui a Papa ejusmodi diploma fuisse concessum fingunt.

Gardinerus autem in Aula Romana mi-  
 nus erat versatus, hunc vero defectum  
 in illo supplere videbatur profunda ju-  
 ris Canonici scientia, eratque reapse  
 vir peracri ingenio præditus, humilis,  
 atque ad quæcunque demum negotia fe-  
 liciter gerenda idoneus, denique etiam  
 facile aliorum benevolentiam sibi con-  
 ciliare poterat: Fuxius vero Regis sui  
 voluntati in omnibus obsequi paratissi-  
 mus, Herefordiensi Episcopatu auctus  
 obiit. His tribus datum est negotium,  
 ut Cardinalem Volsæum novæ deman-  
 datæ potestatis diplomate hujus causæ  
 judicem constitui peterent, addita etiam  
 facultate Regis matrimonium penitus  
 irritum declarandi, si eidem Cardinali  
 ita bene visum fuerit; nihilominus fi-  
 liam ex priori connubio natam, ut le-  
 gitimam agnosci postularent, simulque  
 Papam urgerent, ut scripto promitteret,  
 se facultatem Cardinali concessam nun-  
 quam revocaturum, ac præter bullam,  
 qua Regis Matrimonium nullum pro-  
 nunciatur, etiam dispensationem con-  
 cessurum, ut Rex sine ulla adjecta con-  
 ditione alteram uxorem ducere valeat.  
 Denique iisdem Oratoribus injunctum,  
 ut summo Pontifici exponerent, quod  
 Rex minime ex Volsæi consilio divorti-  
 um petat, nec eundem extitisse Aucto-  
 rem rationum, quæ Henricum Angliæ  
 Regem

Sæcu', XVI.

A.C. 1528.

Sæcul. XVI. Regem ad movendam hanc caussam  
C.A. 1528. impulissent.

## §. XL.

*Epistola Volsæi Cardinalis ad Papam  
circa Regis divortium.*

Scriptit Volsæus Cardinalis die decima  
Februarii Epistolam ad Pontificem,  
in qua acerrimo calamo exarrata, quæ-  
cunque demum turbidi juxta ac perter-  
riti ingenii vehementia dictare potest,  
in unum collecta reperiuntur: erat au-  
tem Epistolæ summa, prout sequitur:  
Beatissime Pater! si a te non modo ve-  
re Orthodoxis, sed etiam Cardinalibus  
adnumeror, qui dignitatis collatæ splen-  
dorem nulla unquam labe obfuscavit,  
semper Ecclesiæ suæ præstitit obsequia,  
ac Sanctitatis suæ commodis intentus  
extitit, nec minus si Sanctitas sua me  
reputat Virum æquitatis amantem, &  
salutis æternæ percupidum, meis quo-  
que monitis, ac submissis precibus quic-  
quam deferre debet. Profiteor, pa-  
lamque testor, quod, nisi Regis preces  
æquitati ac justitiæ consonas probe co-  
gnoscerem, potius omnibus iisque cru-  
delissimis tormentis subjici, quam in  
hoc negotio partem habere mallet.  
Nec tamen dissimulare valeo, quod haud  
abs re pertimescam, ne Sanctitas sua  
præ

præ nimia erga Cæsarem reverentia re-  
 cuset nobis concedere gratiam, quæ ta-  
 men divinis æque ac humanis legibus  
 suffulta est. Vereor etiam, ne Rex, cui  
 nil magis cordi est, quam Dei, ac ju-  
 stitiæ amor, per alias vias causæ suæ  
 remedium quærat, atque ad ea auden-  
 da prorumpat, quæ Sedis Apostolicæ  
 auctoritati eo magis nociva erunt, quo  
 potentius suo exemplo ad pares ausus  
 alios pertraherent. Hæc ad te, sanctissi-  
 me Pater! scribo tanquam Christianus,  
 sacrique Collegii membrum, nec ad id  
 me impellit propriæ utilitatis studium,  
 nec affectus, quo in Regem feror, mi-  
 nus vero libertas, qua nunc fruor. U-  
 num hoc specto, ac intendo in hac Epi-  
 stola, ut justitiæ ac æquitati consulatur.  
 Plura scribere, prohibet mentis agita-  
 tio, qua intus crucior. „

## §. XLI.

*Gardineri & Fuxii postulata Papæ  
 proposita.*

Eadem die, qua hæc Epistola fuit da-  
 ta, nimirum decima Februarii Gar-  
 dinerus, & Fuxius in Italiam profecti  
 sunt. Vix Urbevæ pervenerant, cum  
 summum Pontificem ob tam periculo-  
 sam rerum vicissitudinem anxiiis curis  
 turbatum reperirent: hinc quærebat

G g 4

unice

Sæcul. XVI.

A.C. 1528.



Sæcul. XVI. unice habere paratas tanto negotio mo-  
 ras; ostendebat equidem, se nil magis  
 exoptare, quam quod Regis voluntati  
 obsequi posset, re tamen ipsa haud ob-  
 scure cognoscebatur, quod Henricum  
 vana divortium permittendi spe tamdiu  
 lactare studeret, donec ad suggerenda  
 consilia penitus opposita opportunum  
 nancisceretur temporis spatium. Hinc  
 omnes Oratorum conatus in irritum ce-  
 cidere, nec Pontifex diploma eo modo,  
 quo illi petebant, expediri jussit: Unde  
 Gardinero, Fuxio, & Casalio nil reli-  
 quum erat, quam ut saltem Virum Re-  
 gi acceptum adjungi impetrarent, qui  
 hujus causæ cognitionem in se suscipe-  
 ret.

## §. XLII.

*Campegius Cardinalis in causa divor-  
 tii in Angliam missus.*

Hanc in rem ex Cardinalium Collegio  
 plures proponebantur, omnes Viri  
 meritorum præstantia longe clarissimi;  
 inter hos tamen præcipue feligebatur  
 Laurentius Campegius, qui tum Saris-  
 beriensis Episcopus erat. Hunc Papa  
 jam Mense Aprili nominabat, atque ad  
 dijudicandam divortii causam Volfæo  
 Cardinali adjungebat; demandatæ ta-  
 men potestatis diploma nonnisi sexta Ju-  
 nii Urbevete expediebatur. Ast Campe-  
 gius

gius nullum non movebat lapidem, ut sese a concrediti muneris onere eximeret; probe enim perspexerat, se aut Cæsaris iram, aut Angliæ Regis indignationem incursum. Hinc ad excusandam datæ repulsæ culpam allegabat, se podagræ doloribus pressum tam longi itineris laboribus ferendis imparem esse. Verum Cardinalis Volsæus eum importunis admodum precibus rogabat, atque instabat, ne moram traheret, nec Regno, in quo Episcopatus honore fulgeret, sua obsequia denegaret. His tandem devictus Campegius demandatam sibi provinciam in se suscepit.

Ceterum Campegius Præful erat, non minus pietate quam scientia celebris, ac præterea illis, quorum causa utrinque agebatur, valde acceptus. Jam anno Domini millesimo quingentesimo decimo nono Legatus in Angliam decernebatur, ut decimas pro Turcici belli expensis colligeret, ibidemque ab omnibus colebatur tanquam Vir inter ævi sui Doctores juris Pontificii scientia clarissimus, necnon rerum gerendarum dexteritate summe commendandus. Equidem Gallis, cum Campegium Carolo V. magis addictum crederent, hujus Viri electio minus probabatur; verebantur enim illi, ne quoddam pacis foedus

G g 5

Cæsa-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1528.

*Vie de Campegius par Carolo Sigon. imprimée à Boulogne 1561.*

Sæcul. XVI. Cæsarem inter & Henricum Regem conciliaret. Extat insuper quædam Joannis Bellici Bajonensis Epistola ad supremum Regiæ Præfectum ac Franciæ Marefcallum hoc anno die decima octava

*Bellay.*

*Belcarius*

*l. 19.*

*Goduvide*

*Præf. Angl.*

*Archiep. E-*

*boracens,*

*n. 57.*

Junii Londini data, in qua idem Episcopus Campegii fidem Cardinali Volsæo suspectam reddere nititur, eidemque falso exponit, quod Papa hunc Cardinalem in Angliam eo duntaxat consilio ablegasset, ut Anglis simul & Cæsareis deserviret, ipsumque negotium protraheret sub obtentu podagræ, qua hic Cardinalis laboraret. Ut res se habuerit, id certum est, quod Campegius sese itineri accinxit; quinimo referunt nonnulli Scriptorum omni tamen ratione destituti, quod Papa ad eundem Bullam Regis causæ propitiæ transmiserit, adeo tamen sollicitè præcaverit, ut eadem nec unquam visa, nec causæ successui ullo tempore utilis esse potuerit, præprimis vero novo huic Legato injunxerit, ne ulli alteri, quam Regi & Volsæo Cardinali illam ostenderet, mox tamen eam combureret; unde factum, ut hujus Bullæ tenor nunquam certo innotuerit(\*). Conjiciunt nihilominus nonnulli,

(\*) *Hæc Epistola habetur in argumentis historiae de divortio a Doctore Legrand scripta. Tom. 3. pag. 136.*

nulli, quod Papa Regi duntaxat fidem Sæcul. XVI.  
A.C. 1528.  
dedisset, se nunquam hanc causam ad Romanam Curiam revocaturum, sed Legatorum sententiam auctoritate sua ratam habiturum. Existimant alii, quod in hac Pontificis Epistola Matrimonium dissolutum fuerit declaratum, si Regis preces Pontifici expositæ ex iudicum sententia veritati innitantur. Verum postrema horum conjectura unice suffulta videtur in eo, quod Angliæ Rex perlecto hoc diplomate ingens gaudium ostenderet, econtra vero Papa illud a se concessum fuisse, summopere doleret; inde enim vero sat simile est, quod per hanc Bullam causa definita fuerit.

## §. XLIII.

*Molestia Volsæo Cardinali in hoc negotio creata.*

Cum interea Henricus Rex lætitia exultare videretur, Volsæus Cardinalis intimo dolore afficiebatur, ejusque animi perturbatio eo magis augebatur, quo ardentius Romæ divortii causa promoveretur; probe enim sibi perspectum habebat, quod semper, quemcumque demum successum hoc negotium fortiretur, ruinæ suæ proximus foret. hinc cum quadam die vel solito acrioribus perpetrati criminis scrupulis pugnetur,

Sæcul. XVI. retur, vel forte ad Regis Domini sui li-  
A.C. 1528. bidinem ipſus rubore fuſſuſus eſſet, vel de-  
 nique Annam Bolenam conſenſo Reg-  
 ni ſolio ad ipſum perdendum, & pro-  
 priam familiam eo altius extollendam  
 unice intentam fore pertimeſceret, Hen-  
 ricum adiit, eidemque expoſuit, quod  
 exiſtimationi ſuæ ingentem prorsus la-  
 bem hac agendi ratione inureret. Ve-  
 rum Rex Cardinalem, quem alias mul-  
 tis benevolentiaſignis honorabat, nunc  
 durius recepit, atque ab illo temporis  
 articulo Volſæus ſe Regis gratia peni-  
 tus excidiſſe haud ultra dubitabat. Equi-  
 dem lubenter Regno excedere voluiſ-  
 ſet, ſi fugam clam arripere tutum fuiſ-  
 ſet, & quamvis hoc conſilium periculis  
 plenum cenſeret, nihilominus jamjam  
 prima ad diſceſſum media excogitare  
 cæperat. Præterea nova ubique ædifi-  
 cia conſtrui curabat, utque populi fa-  
 vorem captaret, publicos redditus, quan-  
 tum poterat, augebat, ſimulque literas  
 ad Papam dabat, quibus eidem ſignifi-  
 cavit, actum eſſe de ſe, niſi vicem ejus  
 miſeratus clementiam impertiatur:  
 pariter Caſalio ſcripſit eidem injungens,  
 ut ſummum Pontificem rogaret, & obte-  
 ſtaretur, quatenus ei Bullam concedere  
 velit, quam Regi oſtendere poſſet. Præ-  
 terea per quicquid ſanctum ſacrumque  
 eſt, jurabat, hanc Bullam nullo unquam  
 tem-

tempore a quopiam conspiciendam fore; eoquod illa nullatenus pro promovenda iudicii sententia uti intenderet, sed unice, ut per eam Regi demonstrare valeret, quod Sanctitas sua mente sincera Henrico faveat, nec eum circumvenire voluerit, dum hæc verba pronuntiabat: *Faciam Regis causa, quicquid jure mihi facere licebit.* Postea in eadem epistola Cardinalis subjunxit; quod haud aliud supersit medium, quo suam apud Regem auctoritatem tueri posset, si igitur eum hoc favore dignum censeret, vicissim & ipse pro defensione, ac Sanctitatis suæ gloria, sedisque Apostolicæ incremento omnia impendere, quin & propriam quoque vitam profunderet velit.

## §. XLIV.

*Campegius Cardinalis in Angliam delatus.*

Cum igitur Papa Volsæo multis nominibus obstrictus esset, ejusdem votis annuere paratus erat, quin tamen propterea se penitus ejus arbitrio relinqueret, hancque ob rem Papa, dum Bullam Regi concesserat, præfatas cautiones adhibebat. Ea ergo ad Regem deferenda Campegio tradebatur, qui gravibus podagræ doloribus oppressus non-

Sæcul. XVI.

A.C. 1528.

Sander. l. 1.

Guicc. l. 19.

Sæcul. XVI. nonnisi ineunte Mense Octobri in Angliam venit. Comitabatur eum Rudolphus filius ejus secundo genitus; quippe, cum adhuc Patavii juris scientiam publice traderet, uxorem legitimo connubio sibi junctam habebat. Vix Angliam intraverat Cardinalis, cum illico Volsæus eum instanter rogaret, ut Bullam nonnullis Senatoribus ostenderet; illud enim Pontificis diploma ad alios, ac antea asseruerat, usus adhibere intenderat Volsæus. Ast Campegius insuper habitis hinc importunis precibus palam profitebatur, sibi disertis verbis esse injunctum, ut Bullam nemini nisi Regi & Volsæo exhiberet. Henricus hanc agendi rationem vehementer indignatus, graviter conquestus est de summo Pontifice, qui tamen nullatenus Legatum suum increpabat, sed sine ambage hæc assererat, Campegius rem bene gessit, ac mea jussa fideliter executus est; cum vero Volsæus mea bonitate abuti voluerit, me ei hanc gratiam concessisse pœnitet; de cetero ejus literas adhucdum teneo, Casalius etiam, & Gardinerus probe noscunt, sub quibus conditionibus hanc Bullam concesserim, hinc summopere mihi displiceret, si ea quibusdam Consiliariis ostenderetur; nam facile errore seducti rem, quam illicitam censebant, approbare possent,

possent, eorumque noxa in caput meum reverteretur: ideo cum Bulla intentum fortita sit effectum, comburatur; ego autem promissis meis integra fide stabo, si vero, quæ perperam fuere sparsa, probari possunt, hac de re iudicium instruatur, statimque sententia Regi propitia confirmetur.

Sæc. XVI.

A. C. 1528.

§. XLV.

*Dubia fides hujus Bullæ a Papa Campegio traditæ.*

Scriptorum quamplurimi hanc Clementis Papæ Bullam mere confictam existimant: Quid de ea sentiat Joachimus Le Grand in sua de divortio historia percipiamus, ubi sic loquitur: „Credant alii de Clemente VII. Papa, quicquid velint, nullo tamen pacto comprehendi valet, qua ratione tamdiu falsa hæc opinio invalescere poterit, quod idem Papa Bullam ediderit, qua Henrici octavi, & Catharinæ de Arragonia connubium irritum declarasse fingitur. Nam quamvis Papa Cæsaris indignationem incurrere veritus fuisset, Regisque Angliæ favorem conservare studuisset, ut autem utrumque assequeretur, certe haud opportunius suppetebat consilium, quam illud ipsum ab eo arreptum,

*Le Grand  
hist. du divorce tom. I.  
en douze p. 91*



Sæcul. XVI.

A.C. 1528.

„ ptum, vi cuius in id incubuit, ut caus- „  
 „ fa judiciaria protraheretur, ac Hen- „  
 „ ricus, ne eidem querendi ansa da- „  
 „ retur, ea de re prius admoneretur, ei- „  
 „ demque significaretur, quod facile si „  
 „ juxta solitas juris leges acta instrue- „  
 „ rentur, nimia iudicii mora offenderet- „  
 „ tur. Henrico, ut perspeximus, hoc „  
 „ Papæ consilium probabatur, atque i- „  
 „ deo ipse declarabat, se lubenter qua- „  
 „ tuor aut quinque annis expectatu- „  
 „ rum; ex his igitur aperte constat, „  
 „ quod matrimonium suum quantocius „  
 „ irritum declarari non postulaverit, „  
 „ quamvis forte id in votis habuerit. „  
 „ Quinimo ipse Volsæus, quamvis jamjam „  
 „ ira commotus esset, nihilominus cum „  
 „ Bullam, quam Regi exhibere posset, si- „  
 „ bi a Papa concedi rogaret, nullatenus „  
 „ matrimonii dissolutionem Pontifici „  
 „ proponere audebat. Exstant etiam Vol- „  
 „ sæi Cardinalis epistolæ, in quibus æque „  
 „ ac in Casalii literis habetur, quod Pa- „  
 „ pa, si Bullam, qua Henrici, & Cathari- „  
 „ næ conjugium nullum declararetur, „  
 „ dedisset, plus concessisset, quam ab eo „  
 „ fuisset petatum: Id vero a Papa fuisse „  
 „ factum credi haud potest; ipse enim „  
 „ sese manifesto, ne amplius hujus „  
 „ causæ decisio ab ejus auctoritate de- „  
 „ penderet, periculo exposuisset; ac meri- „  
 „ to timere debuisset, ne Angliæ Rex se- „  
 „ cutus

„cutus fuisset exemplum Ludovici XII. **Sæc. XVI.**  
 „Gallarum Regis, qui postquam a Cæ- **A.C. 1528.**  
 „fare Borgia tum Alexandri VI. Legato,  
 „litteras Apostolicas, vi quarum ejus ma-  
 „trimonium cum Joanna de Francia nul-  
 „lum declarabatur, fuisse allatas com-  
 „pererat, mox Annam de Britannia Ca-  
 „roli VIII. viduam sibi uxorem ducebat,  
 „ac nequidem Papæ Bullam conspiciere  
 „dignabatur. Præterea ex hisce duabus  
 „Bullis, quæ circumferuntur, prima  
 „duntaxat affirmat, quod Papa Legato-  
 „rum sententiam confirmare velit, nec  
 „etiam causam ad Romanam Curiam  
 „sit revocaturus, cum hoc vel maxime  
 „Henricus VIII. pertimesceret; in alte-  
 „ra vero Papa permittit Regi, quod u-  
 „xorem, quamcunque velit, ducere va-  
 „leat, dummodo ejus connubium cum  
 „Catharina prius tanquam nullum de-  
 „claretur. Igitur in neutra ex his Bul-  
 „lis Pontifex ad quicquam præstan-  
 „dum obstrictus erat, quamprimum  
 „Cardinales sententiam ferre recusa-  
 „rent, causamque ad Papam refer-  
 „rent, prout re ipsa ab eis factum fuit;  
 „quapropter Henricus VIII. nunquam  
 „hac Bulla in rem suam utebatur, sed  
 „duntaxat in quadam epistola, in qua  
 „nec dies, quando dabatur, assignatur,  
 „& sine ejus auctographo circumfer-  
 „tur, indeque ejusdem falsitas manife-  
 „*Hist. Eccles. Tom. XXXV.*      H h    ste

Sæc. XVI.

A.C. 1528.

„ iste probatur, in ea edixit, quod Papa ei-  
 „ dem quamdam Constitutionem trans-  
 „ miserit. Hujus tamen Bullæ in suo de  
 „ vera obedientia tractatu nullam om-  
 „ nino mentionem facit Gardinerus  
 „ Viacomienſis Episcopus, quamvis u-  
 „ nacum Campegio Roma Londinum  
 „ profectus, ac postea rursus ad Papam  
 „ ut hoc negotium Romam evocari  
 „ prohiberet, mitteretur, atque in præ-  
 „ fato tractatu totis viribus Romanæ  
 „ Curiaë auctoritatem impugnaret. In-  
 „ super tot suppetunt Auctores, qui ab  
 „ Anno Domini millesimo quingente-  
 „ simo trigesimo usque ad annum mil-  
 „ lesimum quingentesimum trigesimum  
 „ tertium suos calamos circa hoc di-  
 „ vortium exercuerunt, nullus tamen  
 „ eorum vel unquam querebatur, quod  
 „ Papa Bullam, qua hoc matrimonium  
 „ nullum fuisset declaratum, ediderit,  
 „ atque eam postmodum suppresserit.  
 „ Soli Scriptores ultramontani omnium  
 „ primi erant, qui falso rumore dece-  
 „ pti, hujus Bullæ mentionem fecerunt,  
 „ quin tamen unquam, quid Henricus aut  
 „ Volsæus a Papa petierint, scirent, hinc  
 „ ex historicorum hallucinatione post-  
 „ modum popularis error enascebatur,  
 „ quem jam ceteri sua quoque auctori-  
 „ tate fulcire ac propagare sedulo stu-  
 „ debant. Testatur etiam Varillas,  
 „ quod

„ quod hæc Bulla nulla prorsus verifi-  
 „ militudine firmetur. Ut ut res se  
 „ habeat, id omnino certum est, quod  
 „ divortii caussa propter prætenfam  
 „ hanc Bullam nullatenus promotam  
 „ fuerit. „

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1528.

*Varillas*  
*dans l'histoi-*  
*re de l'here-*  
*sie lib. 9.*  
 pag. 370.

§. XLVI.

*Pax Pontificem inter & Cæsarem*  
*conciliata.*

Cum interea Campegius Henricum  
 Regem in Anglia varia spe detine-  
 ret, summus Pontifex totus in eo erat,  
 ut cum Cæsare pacis fœdus iniret; cum  
 enim Gallorum res in Italia omnino de-  
 perditas, ac Lautrecum inter militum  
 suorum cadavera & ipsum morte subla-  
 tum inaudiret, nunciatumque esset, quod  
 pestilentia totum pene Gallorum ex-  
 ercitus consumpsisset, atque Neapolita-  
 na expeditio pessime successisset, hinc  
 Papa causas quærebat, ob quas a Fran-  
 ciæ & Angliæ Regum fœdere recede-  
 ret. Querebatur itaque, quod Francis-  
 cus & Henricus datam ipsi fidem fefel-  
 lissent, eo quod Venetos ad Ravenna-  
 tem & Cerviam Sedi Apostolicæ red-  
 dendam non urgerent, prout tamen  
 summa Religione promisissent. Hac  
 ratione Pontifex insinuare voluit, quod  
 Angliæ Regi haud mirum videri debeat,

*Guicc. lib. 19*

Sæcul. XVI  
A.C.1528

fi in ejus caussa lentius procedat Pontifex, cum ipse Sacræ Sedi jus suum a Venetis tribui negligeret. Optabat quidem Papa, ut hæc sola ratio caussæ definitioni obfuisse crederetur; verum insuperhabita omni solertia Henricus, & Franciscus Reges brevi edocebantur, quod Pontifex in Hispania cum Cæsare de concordia ageret; unde hac super re querebantur; ast Pontifex sibi fixum in animo destinatumque esse ajebat, ut a neutrius partis studio minime recederet, has quoque suspiciones, quas temere inventas appellabat, ut penitus dissiparet, Campanam in Angliam ablegabat, qui de ejus amicitia Henricum de novo tutum redderet, eodemque tempore huic Legato literas tradidit, quibus Campegius Bullam, cujus supra meminimus, igne cremare, ac divortii sententiam, quantum posset, differre, disertis verbis jubebatur. Campegius quantocius diploma hoc flammis tradidit, ac deinceps novos obtentus quærebat, ut judicii acta retardarentur.

§. XLVII.

*Catharina Angliæ Regina apud  
Cæsarem & Ferdinandum  
conquesta.*

Ad differendam hanc sententiam non  
parum

parum conferebat Catharina An-  
 gliæ Regina. Hæc enim summis pre-  
 cibus apud Cæsarem, ac Ferdinandum  
 Archiducem ambos ejus Nepotes insta-  
 bat, ut illius patrociniū in se suscipe-  
 rent. Querebatur de Regis proposito  
 & multo magis de Volsæi suggestionē,  
 simulque exponebat, quibus artibus e-  
 jus matrimonium nullum declarari ni-  
 terentur; unde utriusque Principis o-  
 pem consiliumque efflictim implorabat.  
 Ambo occasionem, qua Henrico Regi  
 negotium facefferent, læto animo ca-  
 ptant, necnon Catharinæ Auctores exi-  
 stunt, ut nihil de suis juribus remitteret,  
 minus vero eorum consiliis acquiesce-  
 ret, qui ei ingressum in monasterium  
 suaderent; præterea Reginæ significa-  
 bant, ipsis apud summum Pontificem  
 sat auctoritatis esse, ut in ejus causa,  
 quod æquum est, decerni facerent, &  
 si forte res ipsi deterius accideret, &  
 usque ad extrema deduceretur, tunc i-  
 psis non deesse media, quibus suæ Ma-  
 terteræ causam potenter tuerentur. I-  
 gitur Catharina istorum promissis suf-  
 fulta a suo Marito divelli constanter re-  
 nuebat, ac cum Rege eadem qua antea,  
 connubii societate utebatur, nec pro-  
 pterea majorem morum gravitatem,  
 aut animi mæstitiam præseferibat, sed  
 communem cum Rege lectum ac men-

Sæcul. XVI.  
 A C. 1528.

Sæc. XVI.  
A.C. 1528.

*Cavendish.*  
*cap. 10. p. 22.*  
*§ 23.*

fam semper habebat. Campegius quoque nomine summi Pontificis Henricum assiduis precibus hortabatur, ne Reginam suam dimitteret, eo quod ejusmodi divortio ingentem nomini suo labem inureret, potiusque in præsentis rerum vicissitudine belli, quod ei cum Cæsare immineret, rationem haberet: Cum vero Campegius Henricum his monitis minime permoveri cerneret, ac insuper funestos hujus negotii successus pertimesceret, ex mandato Pontificis Catharinæ consilium dedit, ut ab Henrico sese sponte separaret, atque ad quoddam Monasterium se reciperet.

§. XLVIII.

*Catharina ultro se a Rege separare, a Campegio admonita.*

Cum vero maximæ difficultatis res sit, ut quis coronam, quam jure sibi impositam tenet, abiciat, suamque libertatem missam faciat, quamdiu illa fruendi spes affulget, hinc Catharina ad Campegi propositum surdas præbebat aures. Hanc Reginæ constantiam, finistrosque successus, qui inde orientur, ambo Legati semper magis magisque pertimescere cæperant, quocirca Reginam adeunt, comitantibus eos

Can-

Cantuariensi Archiepiscopo, Londinenſi Sæcul. XVI.  
 Præſule, aliisque Prælatiſ. Hi unao- A.C. 1528  
 mnes rurfum Reginam rogant, & obſe-  
 crant, ut cuidam Religioſarum Virgi-  
 num cœtui ſeſe addiceret. Aſt illa  
 ſine ambagibus mentem ſuam hiſ ver-  
 bis declarabat: „ Equidem ad ſacram  
 „ monaſterii ſolitudinem ſemper pro-  
 „ penſum geſſi animum, dummodo hac  
 „ in re plena mihi libertas relinquatur,  
 „ cum vero ad id me vi adigere velitiſ,  
 „ in connubio meo, ad quod Deus me  
 „ vocavit, quamdiu vixero, perſiſtam.  
 „ Ceterum merito Judicum, qui mihi  
 „ dati ſunt, fideſ ſuſpecta videtur; hi  
 „ enim per aperta mendacia a Rege  
 „ potiuſ extorti, quam a Papa miſſi, a-  
 „ liunde mihi inſenſi ſunt, ac inter eoſ  
 „ præcipue Volſæuſ, qui mala, quæ pa-  
 „ tior, unice ideo in me concitabat, eo-  
 „ quod Cæſar ejuſ ambitioni, qua ad  
 „ Papatum adſpirabat, ſatiſfacere ne-  
 „ glexiſſet, jure igitur hunc tanquam  
 „ cauſſæ meæ judicem agnoſcere recu-  
 „ ſo, nec a defendendo jure meo deſi-  
 „ ſtere valeo, quin filiæ meæ juribuſ,  
 „ quæ mihi propriiſ meiſ boniſ cario-  
 „ ra ſunt, haud reparandum damnum  
 „ inferam. „ Hiſ dictiſ alioſ Judiceſ  
 ſibi dari poſtulabat, eidemque permis-  
 ſum, ut ex Flandria aliquem Procura-  
 torem, Advocatum, & Conſiliarium ac-  
 H h 4 cerſe-



Sæcul. XVI  
A.C. 1528

cerfere posset. Nec Reginae preces suo frustrabantur effectu, nam venerant in Angliam reapse viri ab illa petiti, brevem tamen moram ibidem agebant, eo quod timeretur, ne ex eorum præsentia Angli ob injurias, quæ Reginae inferebantur, ad seditionem concitarentur.

§. XLIX.

*Novum diploma a Regina exhibitum circa ejus connubium.*

Jam prius Regina exhibebat literas, quibus ei ad contrahendum suum connubium a Papa legis gratia olim facta fuerat. Equidem Legati hujus diplomatis auctoritati innixi, divortii causam decidere cogitabant: verum Regina, ut jura sua firmiter tueretur, quoddam exhibebat exemplar alterius Pontificii diplomatis, quo amplior dispensatio eidem concedebatur, cunctaque prioris Bullæ vitia reparari videbantur. In præmio igitur hujus diplomatis Pontifex hunc in modum effatur: *Oblata nobis vestræ petitionis series continebat: Quod vos Henricus & Catharina cupiatis matrimonium inter vos per verba legitime de præsentibus contrahere, ad hoc, ut vinculum pacis & amicitiae inter ambos Reges diutius permaneat, qui sine hoc connubio semper inter se divisi essent, ad hoc supplicari*

*plicari nobis fecistis, ut vobis de opportu- Sæcul. XVI.  
næ dispensationis gratia providere de beni- A.C. 1528.  
gnitate Apostolica dignaremur: Nos, ad-  
debat Papa in ipso Bullæ contextu, hu-  
jusmodi supplicationibus inclinati vobis, ut  
impedimento affinitatis nequaquam obstante  
matrimonium contrahere possitis, dispensa-  
mus, etsi Arturus matrimonium carnali co-  
pula cum Catharina consummavisset. In  
priori vero Bulla disertis verbis ex-  
pressum legebatur, quod juxta petitionis  
seriem ab Henrico & Catharina ex-  
positam matrimonium Catharinæ cum  
Arturo forsitan fuerit consummatum.  
Equidem Catharina nonnisi hujus di-  
plomatis apographum proferebat, te-  
statur tamen, ejus authographum in  
Hispania asservari, ipsosque Hispanos  
fateri, quod illud adhuc dum teneant, at-  
que ex scriniis Ministri Pueblæ extra-  
xerint, qui tempore connubii a Catha-  
rina initi apud Anglos hujus Nationis  
Legatum agebat. Ut igitur huic facto  
veritas constaret, quantocius ad Vigor-  
niensem Episcopum nec non ad Lée Do-  
ctorem Hispaniæ legatos literæ expe-  
diuntur, quibus præfatum diploma ubi-  
que in Regno exquirere jubebantur:  
Verum eorum solertia omnino inutilis,  
nec unquam diploma fuisse repertum  
videtur. Hanc in rem pariter Romam  
decernebantur Franciscus Brianus, &*

H h 5

Petrus

Sæc. XVI.  
A.C. 1528.

Petrus Vannesius, nec minus hos quoque Procuratores paulo post sequebantur Knyghtus, & Benetus Doctores, qui juncta cum eis opera huic negotio infudarent.

§. L.

*Propositiones ab Anglicæ Rege summo Pontifici expositæ.*

Ambo hi Oratores Lutetiam Parisiorum venerunt, ubi Franciscus Rex eis literas tradidit, quibus Legati, quos Romæ habebat, jubebantur, ut illis, qui in favorem Henrici agunt, sese adjungerent. Vix Oratores Romam pervenerant, cum illico præfatas Regis literas illis, ad quos directæ erant, redderent, ac postmodum in Cancellaria Romana illud diploma, cujus exemplar produxisse, Catharina existimabat, summa sollicitudine quærerent; ast cum omnem diligentiam incassum adhiberi cernerent, plures Pontifici articulos proponebant, eosque, cum illos proferre clam jussi essent, velut suo nomine exponerent. Collimabant illi præcipue, ut ad dirimendum divortii negotium opportuna excogitarentur media, quorum plura Legati exponerent, quæ celebriores juris Pontificii Doctores, presso tamen nomine, Romæ discuterent

runt, eo consilio, ut perspici valeat, quænam ex iis tuto in usum deduci possint: Cum vero Veneti Ravennatem & Cerviam urbes, quas summus Pontifex sibi restitui petebat, adhucdum detinerent, Legati, ut Papam ad acceptandas hæc propositiones inclinarent, polliciti sunt, quod Angliæ & Franciæ Reges præfatas urbes bis mille præsidariis firmaturi essent. Equidem tam valido præsidio Venetorum consilia, quibus ambas hæc civitates sibi vindicare moliebantur, everti potuissent, nec tamen inde pristinum in has urbes dominium Sedi Apostolicæ reddebatur, prout summus Pontifex peroptabat.

## §. LI.

*Aliæ propositiones ab Henrici VIII.  
Legatis factæ.*

Cum igitur Legati probe cognoscerent, quod ejusmodi propositio, quam tamen acceptari cupiebant, Papæ votis plene non satisfaceret, hinc simul eundem admonebant, ut nunc magis quam unquam Cæsaris fidem sibi suspectam haberet, penitusque a firmando, quod cum illo sanxerat, foedere abstineret, eo quod Imperator totus in eo esset, ut eum utpote ex clandestino matrimonio natum folio deturbaret, in ejusque loco

cum

Sæcul. XVI.

A.C. 1528.

Sæcul. XVI. cum Cardinalem Quignonum *de Angeli*  
A.C. 1528. *lis* dictum intruderet, simulque Eccle-  
 siæ ditiones penitus suæ potestati subji-  
 ceret; ut ergo se suaque bona adversus  
 tam perniciosâ Cæsaris molimina defen-  
 dere, ac tueri possit, nullum magis op-  
 portunum medium occurrere aiebant,  
 quam si immota fide Angliæ ac Fran-  
 ciæ Regum fœderi addictus persisteret,  
 atque auxilia ab illis eidem oblata ac-  
 ceptaret. Hisce propositis Legati, pe-  
 rinde ac si hæc suo duntaxat nomine  
 sciscitarentur, a Papa petebant, utrum  
 Regi novum matrimonium ineundi fa-  
 cultatem concederet, prolemque ex se-  
 cundis nuptiis progenitam legitimis na-  
 talibus restitueret, si Regina in quodam  
 Monasterio sese Deo consecraret, vel si  
 eadem Religiosæ familiæ sese addicere  
 nollet, nisi saltem Rex quoque in cœ-  
 nobium se concluderet, & Regina per-  
 petua votorum sponsione sese obstrin-  
 xisset, in hoc casu Legati sciscitabantur,  
 an Papa Henricum a voti sui vinculo  
 solvere, eidemque ad secundas nuptias  
 transeundi libertatem impertiri vellet.  
 Præter hæc cum Clementem Papam na-  
 turæ vitio valde timidum esse scirent,  
 audacter eidem significabant, nisi Hen-  
 rico Regi faveret, nil certius fore,  
 quam Angliæ Regnum ab eo defectu-  
 rum,

rum, cum Angli obedientiam Sacrae Se-  
 di subtrahere omnino parati essent.

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1528.

§. LII.

*Papæ responsum ad Legatos Regis  
 Angliæ.*

Ad hæc Pontifex inter suspiria hunc  
 in modum respondit „ malleum in-  
 „ ter & incudem positus, quocunque  
 „ me verto, me in præcipiti ac lubri-  
 „ co versari conspicio, & in nulla alia  
 „ re huic malo præsidium restat, quam  
 „ in Dei auxilio, qui Ecclesiam suam  
 „ nunquam derelinquit. De cetero plu-  
 „ ra, quam a me, salva Religione ex-  
 „ pectare poterat, obsequia Regi præ-  
 „ stiti, cum causæ suæ iudicium duo-  
 „ bus Legatis eidem addictis commi-  
 „ serim. Ast ne hoc quidem favore  
 „ contentus, ad ampliora me compel-  
 „ lere molitur, quæ tamen concedere  
 „ haud valeo, quin Ecclesiæ leges hu-  
 „ cusque in simili eventu observari so-  
 „ litas transgrediar, ac palam, ut ei ob-  
 „ sequar, Cæsaris, atque Archiducis  
 „ fratris sui gratiam, Catharinæ inno-  
 „ centiam, sedisque Apostolicæ hono-  
 „ rem, dignitatem, & commoda in dif-  
 „ crimen adducam. Nimia petit  
 „ Rex vester, saltem tolerare deberet,  
 „ ut causæ decisio relinqueretur judi-  
 „ cio

Sæcul. XVI.,  
 A.C. 1528. „cio Legatorum, quibus hoc negotium  
 „ est demandatum, illud vero si hucus-  
 „ que tardius processit, non mihi vitio  
 „ vertendum, si autem Campegius ne-  
 „ gligentiae accusandus venit, in hoc  
 „ mandatum meum transgressus est.,

Hoc responso Pontifex haud obscu-  
 re ea, quæ animoolvebat, Legatis si-  
 gnificavit, quapropter illi Regi suo pa-  
 lam fecerunt, nullam ipsi spem in Cle-  
 mentis favore repositam esse, idque u-  
 nicum restare remedium, ut causam a  
 Legatis definiri quantocius juberet.

## §. LIII.

*Clementis Papæ propensio in Carolum  
 Cæsarem.*

Enimvero summus Pontifex, cum Gal-  
 lorum res in Italia penitus deperdi-  
 tas cerneret, magis quam unquam Cæ-  
 saris indignationem incurrere vereba-  
 tur, atque ultra suum erga eum studium  
 occultare adeo sollicitus non erat, quin  
 Campegius in Anglia publice profiteretur,  
 nullum a sua Sanctitate favorem  
 esse expectandum, quamdiu Cæsarei in  
 Italia ceteris potentia prævalerent, &  
 Veneti Ravennatem & Cerviam urbes  
 summo Pontifici restituere cunctarentur.  
 Id quoque a nemine amplius in-  
 dubium vocabatur, postquam Londinum  
 vene-

venerat Vincentius Casalius, qui proli-  
 xam Equitis ac Protonotarii Casalii, Sæcul. XVI.  
 A.C. 1528.  
 cujus Nepos erat, epistolam attulit, in  
 qua penitus cuncta describit, quæ inter  
 ipsummet & Clementem Papam gesta  
 fuere circa secretam illam Bullam, quæ  
 tum adeo celebrabatur, atque a Cam-  
 pegio ex mandato, quod sub idem tem-  
 pus Protonotarius Gambara attulerat,  
 combusta dicebatur, cum tamen omnes  
 hæ literæ, quæ hanc in rem circumfer-  
 rentur, nullam omnino mentionem fa-  
 ciant de conficto hoc diplomate, quam-  
 vis ceteroquin Casalium & Gambaram  
 adventasse referant.

§. LIV.

*Abolitio plurium Monasteriorum a  
 Volsæo Cardinale pro suo Col-  
 legio impetrata.*

Cum interea Angliæ Rex matrimo-  
 nium suum dissolvi sedulo curaret,  
 Volsæus Cardinalis totus in eo erat, ut  
 Oxoniense & Gippevicense Collegium  
 annuis redditibus augetet; cum vero ejus-  
 modi liberalitatem tam Regi quam Cle-  
 ro pergratam cerneret, ad ampliora ne-  
 gotia suam sollicitudinem extendit, at-  
 que alia Monasteria suppressere, novos  
 Episcopatus erigere, necnon Abbantias  
 in Cathedrales Ecclesias convertere  
 statuit.



Sæcul. XVI. A.C. 1528. statuit. Ea res in quodam Senatu Cardinalibus proponeretur, qui Volsæi consiliis suffragati sunt, prout colligitur ex quadam Casalii epistola die trigesima Octobris data. Præterea Volsæus sibi cuncta Angliæ Monasteria lustrandi facultatem concedi postulabat. Annuit quoque Pontifex, eidemque hanc in rem Apostolicas literas die quarta Novembris expediri iussit. Minus tamen facilem Volsæus habebat Pontificem, dum de abolendis quibusdam Monasteriis agebatur; cum enim Gardinerus arrogantius Pontifici exponeret, quod petitam Conventuum suppressionem necessitas suaderet, eamque fieri omnino oporteret, Papa aliquamdiu in ancipiti cura versabatur; forte enim Religiosos rursus concitare pertimescebat; nihilominus cum aliunde ejus cunctatio Regi permolesta accideret, eidem saltem in hoc satisfacere studuit, ut ejus clienti, quicquid pro erectione sui Collegii petebat, concederet.

## §. LV.

*Scotiæ Regimen a Jacobo V. Rege assumptum.*

Hoc anno in Scotiæ Regno penitus mutata erat rerum facies, eo quod Margarita Regina connubium suum cum  
Angu-

Angusii Comite initum omnino invalidum declarari peteret, simulque secundis nuptiis sese Henrico Stuardo conjungeret, proin potentem sibi factionem conciliaret. Nec tandem inde plena fruebatur tranquillitate; adhuc enim ægerrime ferebat, quod Rex filius suus sub tutela Angusii Comitis, Georgii Duglassi ejus fratris, & Archimbaldi horum Patruum esset; cum ergo hi juvenem Regem ad arbitrii sui nutum circumferrent, Regina horum imperium excutere statuit, quapropter Regi significari præcepit, ut fuga clam arrepta sese Sterlingam reciperet. Exequitur juvenis Princeps Matris suæ consilium, tamque scite ac commode tempus ad fugam capit, ut feliciter sese insequentium solertiæ subduceret, ac Sterlingæ edictum promulgari juberet, quo cautum, ne ab ullo Duglassus tanquam Regni Administrator agnosceretur, eodemque tempore eidem inhibuit, ne aulam accedere præsumeret. Equidem Angusius Comes variis mediis Regem denuo suæ potestati subjicere nitebatur; verum inania semper erant ejus molimina; nec fortuna magis prospera utebatur Duglassus, qui usque ad Edinensis urbis portas infestis armis excurabat. Nihilominus juvenis Rex ibidem die quarta Septembris Senatores suos

Sæc. XVI.

A.C. 1528.

*Hist. Eccles. Tom. XXXV. li con-*

Sæcul. XVI. congregari præcepit, ac paulo post ip-  
A.C. 1528. psus eo advenit, simulque sententiam  
 promulgavit, qua omnia Duglassi bona  
 Regis ærario addicebantur. Re com-  
 perta Henricus VIII. Angliæ Rex ad  
 Scotiæ Regem suos decernebat Lega-  
 tos, qui pacem inter dissidentes con-  
 ciliarent; ast illi haud amplius quam  
 quinquennales impetrabant inducias,  
 quæ etiam Bervici utrinque initæ, ac  
 die decima quarta Decembris Anno  
 Domini millesimo quingentesimo vige-  
 simo octavo firmatæ fuerunt. Præter  
 hæc pacta specialis sanciebatur articu-  
 lus, quo Duglassenses in Angliam venire,  
 permittebantur, ea tamen lege, ut urbes,  
 quas in Scotia adhuc possidebant, eo-  
 rum Regi redderent; si vero ad Regnum  
 reverterentur, ac ibidem tumultus su-  
 fcitarent, Henricus hæc damna, perin-  
 de ac si a propriis ejus subditis fuissent  
 illata, reparare teneretur.

## §. LVI.

*Dissidia Erasmus inter & Eppen-  
dorsium.*

*Erasm. epist.* Ad hæc usque tempora celebris Eras-  
*53. lib. 30.* mus hoc fatum tulit, ut non minus  
*pag. 19. 40.* omnibus, quibus ejus merita plene e-  
*epist. 46. lib.* rant cognita admirationi esset, quam  
*30. pag. 1633* cavillationibus exponeretur illorum,  
 quibus

quibus vel ejus excellentia, vel sentien-  
 di libertas displicebat. Hanc ob rem  
 inter ipsum & Eppendorffium recens  
 exoriebatur controversia. Is erat qui-  
 dam Germaniæ Nobilis, cujus nomen  
 forte literato Orbi haud cognitum fuis-  
 set, nisi per controversiam cum Eras-  
 mo agitatam inclaruisset: erat autem  
 hæc contentionis occasio. Anno post  
 Christum natum millesimo quingentesi-  
 mo vigesimo quarto Udalricus Hutte-  
 nus inter Poetas longe mordacissimus,  
 ac nonnisi acerbis facetiis suis clarus  
 Basileam venit; cum ergo non modo  
 adversa valetudine sed etiam omnium  
 rerum inopia premeretur, Erasmo per  
 Eppendorffium significari fecit, quod ei-  
 dem colloquendi desiderio flagraret.  
 Existimabat Erasmus, quod officiosa hac  
 salutatione aliorum invidiam sibi accer-  
 feret, imo potius verebatur, ne Hutte-  
 nus, cum nullibi tuto consisteret, forte  
 in ejus ædibus domicilium figere quæ-  
 reret, hinc Eppendorffium rogavit, ut Hut-  
 tenum quantum posset humanissime indu-  
 ceret, ne Erasmus inviseret. Primo e-  
 quidem Huttenus hanc excusationem  
 æquo ferebat animo, nihilominus varia  
 Erasmi domum intrandi media tenta-  
 bat, semper tamen sinistro successu; quo-  
 circa hanc repulsam indignatus Mulhu-  
 sium sese recepit; ut vero injuriam ul-

Sæc. XVI.

A.C 1528.

Sæcul. XVI. A C. 1528. cisceretur, libellum maledico admodum calamo conscriptum adversus Erasmus edidit. Nec tamen deerant, qui Hutteni Sarcasmos refellerent; Eppendorffius tamen totus in eo erat, ut Huttenum vindicaret, non sine gravi Erasmi indignatione, qui Nobilem hunc Virum hucusque suos inter amicos numerabat, nec mente sua assequi poterat, quid tandem Eppendorffium ad tuendas Hutteni partes impulisset. Ea igitur agendi ratio Erasmo permolesta accidit, palamque hac de re questus est; verum ejus dolorem nonnulli augebant, cum etiam Eppendorffio narrent, quod Erasmus adversus eum acerbas ad Georgium Saxoniam Ducem literas dedisset. Quamvis quidem hujus accusationis veritas nullo constaret argumento, nihilominus Eppendorffius ira accensus Basileam venit, ut cum Erasmo publice judicio contenderet. Accurrunt utriusque partis amici, qui inter dissidentes pacem conciliare fatagunt. Hos inter præcipui erant Rhenanus & Berusus, quibus utriusque partis querelas excipiendi, litemque sopiendi negotium dabatur. Erant illi in Erasmi ædibus, illucque Eppendorffius accedens, epistolam ab Erasmo ad Ducem fuisse scriptam pertinacius contendebat, quapropter postulabat. I. Ut Eras-

Erasmus ea, quæ scripserat, revocaret. Sæcul. XVI.  
A C. 1528.  
 II. Eppendorffio librum nuncuparet, in quo læsum illius honorem repararet.  
 III. Ad tuendam ejus innocentiam literas Saxonix Duci perscriberet. IV. Denique Erasmus pro injuria, quam Eppendorffius sibi illatam reputabat, pauperibus multæ nomine trecentos aureos penderet, nimirum Basileensibus centum, Argentinensibus vero ducentos. Ad hæc Erasmus respondit, præfatam quidem epistolam nunquam a se fuisse scriptam, si tamen vel calamo vel opere Eppendorffium offendisset, paratum se esse, ut eum datis literis placaret, atque etiam eidem librum inscriberet, ac denique missa ad Saxonix Ducem epistola illius honorem defenderet; de cetero existimare se aiebat, quod longe consultius foret, ut de pecuniis, quas erogaret, nulla omnino mentio fiat, ne ejus adversarius spe lucri litem intentasse videatur. Annuit Eppendorffius primis duobus articulis, quos Erasmus adimplere sponderat, firmius vero insistebat petitæ pecuniarum summæ.

## §. LVII.

*Sententia contra Erasmum pro Eppendorffio lata.*

Jam tertia dies effluxerat, qua fervide ultro citroque disceptabatur, tandem

Sæcul. XVI  
A.C. 1528.

vero litigantes duorum arbitratorum decisioni stabant. Hi erant Bonifacius Amerbachius & Rhenanus, qui Ludovico Beruso, & Henrico Glareano presentibus sequentem tulerunt sententiam. „ Quoniam nobis diffidii vestri „ decisionem eo fine reliquistis, ut tan- „ quam sinceri amici rursus vicissim in „ gratiam redeatis, ideo videtur nobis, „ quod ad evitandum omne odium, at- „ que ad pacem vere Christianam inter „ vos reddendam Erasmus primos duos „ articulos, prout sancitum fuit, exequi „ teneatur. Tertio autem ut satisfaciat, ad sublevandam pauperum miseriam duntaxat viginti florenos pendat, juxta arbitratorum voluntatem erogandos, quin tamen ulla litigantium pars propter hanc sententiam fugillari valeat; unde inter illos nec amplius contentiones, aut suspiciones versentur, sed si quæ forte controversia oriatur, amice ac benevole componatur omniumque præteritorum memoria aboleatur, perinde ac si nunquam aliqua fuissent dicta vel facta. Datum Basileæ die altera post Purificatæ Virginis festum Anno reparatæ Salutis millesimo quingentesimo vigesimo octavo. „

Huic sententiæ ambo litigantes acquieverunt, atque in reconciliationis signum

gnum in mutuos ruebant amplexus, Sæcul. XVI.  
A. C. 1528.  
 quinimo postera die in una mensa simul  
 prandium sumere jubebantur, nihilomi-  
 nus nil propius esse videbatur, quam ut  
 bellum inter eos recrudesceret; quippe  
 Eppendorfius sumpto prandio Eras-  
 mum admoniebat, ut epistolam, quam  
 ad Saxoniae Ducem scribere promise-  
 rat, in promptu haberet; cum vero ad  
 hæc Erasmus, se duntaxat ad Ducis  
 Cancellarium literas daturum respon-  
 deret, mox inter eos tam acris exorie-  
 batur contentio, ut ambo non sine indi-  
 gnatione discederent.

Altera die Erasmus ad Saxoniae  
 Ducem perscripsit epistolam, quam ta-  
 men necdum sigillo munitam Eppen-  
 dorffio transmisit, cui hæc Erasmi satis-  
 factio grata accidit: paulopost tamen  
 in vulgus perperam spargebatur, quod  
 Erasmus ejusmodi concordiae pactis con-  
 senserit, quæ ejus nomini haud levem  
 maculam inurerent: Quinimo ipsemet  
 Eppendorffius, necnon alii Lutheri erro-  
 ribus infecti ubique divulgabant, quod  
 Erasmus non sine infamiae nota conde-  
 mnatus, conditiones honesto Viro indi-  
 gnas inire compulsus fuerit. Erasmus  
 falsos hosce rumores edoctus, scripta  
 apologia totam rei gestæ seriem, nec-  
 non rationes, quibus ad acceptandam  
 sententiam urgebatur, exposuit. Huic



Sæc. XVI. libello hanc præfixit inscriptionem:  
A.C. 1528. *Adversus mendacium & obtreccationes uti-*  
*lis admonitio.* (\*) Ast haud segnior Eppendor-  
 fiius illico Erasmi librum confu-  
 tabat, in hac tamen sua apologia hæc  
 effatus est: nunciatum mihi est, quod  
 etiam post concordiam inter nos reddi-  
 tam nomen meum dente maledico car-  
 pere pergas; id tamen haud credere  
 possum, donec mihi ostensæ fuerint li-  
 teræ, quibus me tanquam totum ex  
 mendacio compactum traduxisse accu-  
 faris. Præterea ex eodem Eppendor-  
 fii libello discimus, quod is Friburgi,  
 quod quoddam Misniæ oppidum est, na-  
 tus patriam suam reliquerit, ut sese  
 humanioribus scientiis excoleret, Ma-  
 gisterio usus celeberrimi Zadii in juris-  
 prudentia Doctoris; postea memorat,  
 quod dudum Argentinæ moratus fer-  
 ventibus dissidiis, quæ ex spuria Luthe-  
 ri reformatione a variis factionibus in  
 Germania suscitata fuere, neutri parti  
 accesserit.

§. LVIII.

---

(\*) Eppendorfius huic suæ apologiæ ti-  
 tulum præfixit: *Ad D. Erasmi Roterodami*  
*libellum, cui titulus: Adversus mendacium, &*  
*obtreccationes utilis admonitio, iusta que-*  
*rela.*

§. LVIII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1528.

*Numalii Cardinalis obitus.*

Hoc anno Sacrum Purpuratorum Collegium nonnisi unius Cardinalis obitum plangebat. Is erat Christophorus Numalius patria Foroliviensis, mira ingenii acie præditus, quocirca cum jam a teneris annis literarum studiis incumberet, eximiam prorsus doctrinam assequebatur. Verum nequioris sæculi tædio affectus habitum S. Francisci induit, ibidemque Philosophicis æque ac Theologicis disciplinis tam sedulam navabat operam, ut Doctoris laurea decoratus suis fratribus Theologiam traderet, cumque insignem vitæ sanctitatem cum profunda eruditione conjungeret, primo in Curia Romana progerendis Ordinis sui negotiis Commissarius, postea Vicarius Generalis, ac demum in comitiis Generalis Minister electus est. Hic Gallorum Regi percarus erat, atque juxta Ciaconium Ludovicæ de Sabaudia Reginæ, quæ Francisci I. Mater erat, conscientiam moderabatur: Anno autem Domini millesimo quingentesimo decimo septimo die vigesima sexta Junii illum Leo X. ad Cardinalis dignitatem, & Presbyterum tituli S. Bartholomæi in Insula,

*Ciacon. in vit. Pontif. part. 3. p. 394  
Luc. Wadding. in annal. Minor. Casp. Longelin. in Elog. Card. Ord. Minor. Ferd. Ughel. in addit. ad Ciacon. & in Ital. sacra. Aubery vies Card.*

li 5                      postea

Sæcul XVI. postea S. Mariæ in Aracoeli nominavit:  
 A.C. 1528. Demum vero Iferniensem & Alatrien-  
 sem Ecclesias regere coactus in Fran-  
 ciam post adeptum Cardinalatum pro-  
 fectus est: eo tamen tempore, quo a  
 Cæsareis capta est, Romanam urbem  
 incolebat plurima perpeffus a militibus  
 Lutherana hæresi infectis, qui eundem  
 captum abstraxerunt, eoquod apud il-  
 lum, cum a divitiarum studio longe alie-  
 nissimus esset, nihil omnino reperirent,  
 quo suam avaritiam satiare possent. Post  
 spoliatae urbis liberationem Christo-  
 phorus Anconam se recepit, ubi etiam  
 Anno Salutis nostræ millesimo quingen-  
 tesimo vigesimo octavo die vigesima ter-  
 tia Martii e vita migravit: ejus autem  
 corpus paulo post Romam delatum in Ec-  
 clesia, cujus titulum gerebat, sepultum  
 est.

## §. LIX.

*Jacobi Wimphelingi extrema.*

*Trithem. &* Eodem anno decima septima Novem-  
*Bellarm. de* bris Jacobus Wimphelingus obiit  
*Script Eccl.* Sletstadii, ubi anno Domini millesimo  
*Paul. Longe* quadringentesimo quadragesimo nono  
*in chron. Ci-* quadringentesimo quadragesimo nono  
*lixen. p. 886.* primam lucem aspexit. Hic postquam  
*Lilius Giral-* humanioribus literis a Dongibergo Vest-  
*dius dialog. 2.* phalo Sletstatensis Collegii Rectore im-  
*de poetis sui* butus erat, studiorum curriculum abso-  
*temporis.* luturus Friburgum, postea Basileam,  
 Hei-

Heidelbergam, ac denique Erfordiam contendit, ubi juri Canonico, ac Theologiae operam navabat. Eminuit vero præprimis in eloquentiæ, artisque poeticæ studio, in quo pro illius ævi ratione excelebat. Anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto Spiram accersebatur, ut ibidem verbi divini Præconem ageret, idque sacrum Ministerium non sine magna nominis sui fama obibat, tandem vero rebus mortalibus valere jussis, totum sese Deo devovit, ejusdemque instituti socium sibi adjunxit Christophorum Usenheimium amicum suum, qui itidem vir erat virtutum exemplo longe clarissimus, paulo post tamen e sacra solitudine sua evocatus gravi Episcopatus oneri humeros suos supponere jubebatur. Felicius erat Wimphelingus, qui juxta pauperis Christi Domini exemplar sacro otio frui permiffus, indies magis magisque animam suam omnibus virtutum ornamentis ita excollebat, ut tranquillum hoc vitæ genus nullatenus eum præpediret, quominus Heidelbergæ sacras litteras publice traderet, aptosque ad juventutis institutionem libros conscriberet, necnon Sacerdotes ad morum integritatem, sanctitatemque hortaretur. Quosdam insuper adolescentes liberalibus disciplinis erudiendos suscepit; hos  
inter

Sæcul. XVI.  
A C 1528.

*Erasm. l. 23.  
ep. 10.*

*Dupin. Bibl.  
des auth. Ec-  
cles. tom. 14.  
av. 16. Siecle  
pag. 116.*

Sæcul. XVI. inter præcipui erant duo ejusdem Ne-  
A.C. 1528. potes Jacobus Spigelius & Joannes Ma-  
 jus, necnon Wolfgangus de Levestaing,  
 & Jacobus Sturmius, qui omnes mag-  
 nam eruditionis suæ gloriam sibi com-  
 parabant.

Cum vero Wimphelingus Ecclesia-  
 sticorum, æque ac Monachorum morès  
 liberiori censura perfringeret, horum  
 indignationem in se concitabat; qua-  
 propter Fratrum Eremitarum S. Augu-  
 stini instinctu, licet multo senio præ-  
 fus hernia laboraret, Romæ compare-  
 re jubebatur, eoquod in quodam suo o-  
 pere tenuisset, quod S. Augustinus nec  
 Monachus fuerit, nec prolixam bar-  
 bam nutrierit, minus vero caputium,  
 atque cingulum ex corio gestaverit, pro-  
 ut tamen Augustinum præfati Religiosi  
 exhibere solebant. Porro Trithemius  
 Wimphelingo auctor exstitit, ne se fu-  
 tilibus ejusmodi disputationibus impli-  
 caret, eoquod, inquiebat ipse, parum  
 referat, an sanctus iste Doctor Rochetto  
 vel caputio indutus incesserit. Atta-  
 men Wimphelingus Romam adire re-  
 cusabat, jam contentus, quod suam opi-  
 nionem, agendique rationem edita apo-  
 logia plurimum dilaudata vindicasset.  
 Ejus quoque causam Conradus Peutin-  
 gerus patria Augustanus, necnon Jaco-  
 bus Spigelius Romæ defendendam sus-  
 cipie-

scipiebant, suoque munere tam præcla- Sæcul. XVI:  
A. C. 1528.  
re fungebantur, ut Julius II. litem non  
sine Wimphelingi gloria decideret. Ce-  
terum præclarus hic Doctor, cum uni-  
tati Ecclesiæ apprime addictus esset,  
tumultibus ac dissidiis, quæ Lutheri se-  
cta ubique fuscitabat, tantopere com-  
moyebatur, ut tædio confectus extre-  
mum diem obiret. Eo fatiis functo am-  
bo ejus Nepotes Jacobus Spigelius, &  
Joannes Majus ad secretiora Cæsaris  
consilia admittebantur.

## §. LX.

*Wimphelingi opera.*

Scripsit Wimphelingus tam ligato quam  
soluto sermone quamplurimos libros  
tam de Ecclesiasticis quam profanis ar-  
gumentis, eorumque Catalogus habe-  
tur in præfatione ad quamdam oratio-  
nem, quam ipse de Spiritu sancto ha-  
buit, & Regnianus Philofius Argenti-  
næ Anno Domini millesimo quingente-  
simo decimo sexto publici juris fecit.  
Ea igitur opera, quæ ibidem referun-  
tur, impræsentiarum recenseamus: ex  
his præprimis exstant tractatus de insti-  
tutione & educatione puerorum; de e-  
legantiis latini idiomatis; tres libri car-  
mine elegiaco conscripti *de triplici can-  
dore B. V. Mariæ*; alius liber de purita-  
te

Sæcul. XVI. te unacum apologia; tractatus de fru-  
A. C. 1528. galitate adversus eos, qui beneficiis  
 provisi sunt. Scripsit item Epitomen re-  
 rum sive Imperatorum Germaniæ; tra-  
 ctatum de adolescentia, alios de Germa-  
 norum Historia; Apologiam pro Repub-  
 lica Christiana; librum de Hymnorum  
 Ecclesiasticorum Auctoribus; necnon  
 quatuor Evangelistarum compendium.  
 Insuper præter suas Epistolas, poema-  
 ta, Historias, pluraque alia opuscula,  
 idem etiam elucubravit Soliloquium ad  
 laudem Principum ac Germaniæ Pro-  
 cerum; Beatæ Virginis, & D. Josephi  
 Officium, & Statuta Synodica, quæ  
 Basileensis Episcopi jussu ediderat.

Eidem etiam attribuuntur tractatus  
 in laudem Ecclesiæ Spirensis, alius de  
 Episcopis Argentinensibus, necnon de  
 vita Dietheri Archiepiscopi Moguntini.  
 Edidit quoque alium tractatum, cui ti-  
 tulus: Concordia Parochorum, & FF.  
 Mendicantium, in quo libello enormes  
 recenset errores, quos quidam Mona-  
 chus nomine Martinus de Hanovia præ-  
 ter millenas facetias pudori ac Religio-  
 ni adversas spargebat, ibidemque Wim-  
 phelingus Regulares ex eo capite redar-  
 guit, quod Sæcularium causas dijudi-  
 candi, ac eos condemnandi libertatem  
 sibi arrogent. Denique Parochos hor-  
 tatur,

tatur, ne Religiosorum instituta convi- Sæcul XVI.  
 tiis proscindant, contemnant, aut ali- A.C. 1528.  
 unde eisdem molestias inferant; oppo-  
 nit etiam veterum Monachorum vitam  
 modernorum moribus, contenditque,  
 Parochorum æque ac Monachorum cu-  
 ram in eo ponendam esse, ut communi  
 studio Ecclesiæ bonum promovere fa-  
 tagant.

Ceterum cunctis Wimphelingi ope-  
 ribus tam eloquentia quam utilitate præ-  
 stat tractatus de puritate Sturmio nun-  
 cupatus. In eo probrum sibi objectum  
 diluit, quo redarguebatur, quod Apo-  
 logiam suam pro Republica Christiana  
 contra Clericos beneficiis provisos haud  
 scripserit alio ex fine, quam ex eo, quod  
 ipse ejusmodi beneficium aucupari haud  
 potuerit: igitur hanc in rem ita effatur:  
 duo beneficia, quæ Bertholdus Mogun-  
 tinus Archiepiscopus mihi obtulerat,  
 acceptare recusavi, semperque mihi ab-  
 ominationi erit eorum corruptela, qui  
 non raro in eadem urbe quatuor aut quin-  
 que Ecclesias regunt, pluresque præ-  
 bendas, dignitates seu *Personatus*, ac  
 nonnunquam alia etiam beneficia per  
 alios Clericos possident; imo se viros  
 novisse ajebat, qui viginti tria aut om-  
 nino viginti quatuor beneficia sibi ven-  
 dicabant. Postea agit de puritate Sa-  
 cerdotum, atque ad conservandam hanc  
 virtu-



Sæcul. XVI. virtutem remedia præscribit, graviter  
A. C. 1528. questus de quodam viro, qui, quamvis  
 diuturna ei familiaritate junctus fuisset,  
 nihilominus illum apud Raymundum  
 Papæ Legatum accusabat, quod Reli-  
 giosos perperam infectaretur; hanc ita-  
 que calumniam diluere intentus palam  
 profitetur, quod omnes probos Religio-  
 sos amore complectatur, eosque magni  
 faciat, illos vero execretur Monachos,  
 qui præter habitum & tonsuram nil cum  
 vero Religioso commune habent, sed su-  
 perbia, & ambitione pleni populum suis  
 seducunt sermonibus, in quibus viam  
 ad cælum expeditam, necnon pro gra-  
 vibus etiam noxis nonnisi levem pœni-  
 tentiam esse injungendam tradunt, di-  
 vitibus blandiuntur, sacras Virgines cir-  
 cumveniunt, cunctos Theologos sæcu-  
 lares convitiis laceffunt, ac ne ipsi qui-  
 dem Gersonio parcunt. Postea redar-  
 guit eos, qui Ecclesiæ proventus ad lu-  
 xum vel voluptates convertunt, & pau-  
 peres alere negligunt. Denique obser-  
 vat, quod natura hominis paucis con-  
 tenta sit, proin Presbyter cum medio-  
 cri proventu vitam honeste sustentare  
 valeat.

In eodem opere quasi per transen-  
 nam quæstionem, an D. Augustinus Mo-  
 nachorum instituto nomen dederit, per-  
 tractat, asseritque, quod sanctus hic Do-  
 ctor

ctor nec fuerit Eremita, nec ad S. Be-  
 nedicti Regulam (\*), nec ad Monacho-  
 rum Mendicantium institutum vixerit;  
 si enim, inquit Wimpelingus, ejus-  
 modi vitæ genus fuisset professus, certe  
 in libris Confessionum de eo mentionem  
 fecisset; his addidit, quod Possidius,  
 qui magni hujus Doctoris vitam con-  
 scripsit, certe illum laudibus haud ce-  
 lebrasset ex eo, quod nullum condide-  
 rit testamentum; id enim ei prohibitum  
 fuisset, si unquam Monachum induisset,  
 proin hoc, quod intestatus decesserit,  
 nullum laudis argumentum subministrat.  
 Nihilominus ipsemet tria, quæ ejus opi-  
 nioni objici possent, proponit argumen-  
 ta; nam primo scriptum reperitur,  
 quod hic Sanctus omnibus bonis nun-  
 tium miserit, ac in sua Ecclesia cœno-  
 bium erexerit. II. Idem Monachorum  
 veste indutus depingitur, ac marmorea  
 statua

Sæcul XVI.  
 A.C 1528.

(\*) Hæc typis errore irrepsisse arbitramur; quis enim ignorat. S. Augustinum jamjam anno Domini quadringentesimo trigésimo e vivis excessisse: S. Benedictum vero nonnisi Anno Sæculis quadringentesimo octogésimo primam lucem aspexisse, sacramque suam Regulam primum Anno quingentesimo vigésimo vulgasse, ac tandem circa annum quingentesimum quadragesimum tertium objisse.

*Hist. Eccles. Tom. XXXV.*

K k

Sæcul. XVI. statua in Beatæ Virginis Templo reg-  
A. C. 1528. nante Sixto IV. Pontifice fuit inventa,  
 cui insculptum erat epigrama, ex quo  
 colligebatur per hanc statuam repræsen-  
 tari cujusdam Eremitæ S. Augustini ef-  
 figiem. III. Exstant quidam S. Augu-  
 stini sermones ad Fratres Eremitas. Ve-  
 rum cunctæ hæ rationes Wimphelingo  
 admodum frivolæ videntur, faciliq[ue]  
 negotio eis respondet, dicens: I. San-  
 ctus Augustinus reapse quidem munda-  
 nis rebus valedixit, eo sensu, quod suos  
 parentes ac bona reliquerit, idque mere  
 ultronea abdicatione, quin tamen Mo-  
 nachorum instituto nomen dedisset. II.  
 Vita Religiosa etiam in habitu sæculari  
 duci potest, vestisque monastica, in qua  
 exhibetur, nonnisi Pictorum fabula, mar-  
 morea vero præfati Eremitæ statua est  
 inane commentum ex industria adinven-  
 tum, nec illam tanta, quanta perhibe-  
 tur, vetustas commendat. III. Sermo-  
 nes ad Fratres Eremitas censentur sup-  
 posititii, illique nunquam ex calamo S.  
 Augustini Hypponen[sis] Episcopi, sed  
 forte divi Augustini Angliæ Episcopi  
 profluxerunt.

Scripsit insuper Wimphelingus tra-  
 ctatum valde eruditum de hymnis &  
 profis Ecclesiæ. Primum horum Au-  
 ctorem extitisse autumat divum Ambro-  
 sium, qui a Justina Imperatrice Valenti-  
 niani

niani Matre dire divexatus, cum in Ec-  
 clesia diu noctuque unacum populo suo  
 delitescere cogeretur, nonnullos selegit,  
 qui ei ad depellendum vitæ tædium  
 quosdam hymnos præcinerent, uti te-  
 statur S. Augustinus in libro nono Con-  
 fessionum. His præmissis varia carmi-  
 num genera, ex quibus præfati hymni  
 constant, exponit, eorumque Auctores  
 designat: de Profis vero, quæ ante E-  
 vangelium in sacrificio Missæ decantari  
 solent, eorum usum magis recentem,  
 ejusque primos Authores fuisse Germa-  
 nos affirmat. Ceterum omnia Wim-  
 phelingi opera ubique redolent dicendi  
 libertatem non minus, quam scribendi  
 facilitatem, virumque loquuntur virtu-  
 tis studiosum, ac vitiorum hostem, &  
 censorem, qui pristinam morum disci-  
 plinam revocari ita peroptabat, ut ta-  
 men Hæreticorum novitates summope-  
 re detestaretur; cum enim Ecclesiæ do-  
 ctrinis apprime addictus esset, intimo  
 miserationis sensu mala deplorabat, quæ  
 Germaniam ejus patriam devastabant,  
 tractuque temporis altiores semper ra-  
 dices agebant.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1529.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1529.

§. LXI.

*Comitia Spiræ celebrata.*

*Cochl. de act. & Script. Luth. hoc an. pag. 197. Sleid. Com. l. 6. p. 190. Bzov. anno 1529. n. 47.*

Interea Cæsar, ut malis Germaniam agitantibus obsisteret, Spiræ Comitia indicere cogebatur: quo enim manifestius obversabatur Religionis periculum, eo magis urgebat hoc remedium adhibendi necessitas; quippe non modo Lutheri secta magis indies in Imperio invalescebat, sed insuper Turcæ, cum jamjam Budam suis subjecissent armis, in ceteras quoque Cæsaris Provincias proximam irruptionem parabant, spe freti, se nullo negotio totam Hungariam subacturos. Ergo die decima quinta Martii anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo nono hisce Comitibus initium dabatur. Confluxerat copiosus admodum Principum numerus, aderat quoque Cæsaris nomine ipse Ferdinandus, qui Præsidis vices agebat. Hunc omnes Principes, ac Oratores, quos Imperii Ordines eo decernebant, comitabantur; accesserat quoque Elector Saxonix unacum Melanchtone, imo ipse etiam Pontifex, ne suo deesset officio, Joannem Thomasinum Mirandulanum Comitem Spiram ablegabat, dato eisdem negotio, ut Principes ad bellum contra Turcas suscipiendum hortaretur.

Prima

Prima vero congregatorum cura eo <sup>Sæcul. XVI.</sup> collimabat, ut in hisce Comitibus Reli- <sup>A.C 1529.</sup> gionis negotia discuterentur, hacque super re non minus diuturna, quam acri animorum contentione disceptatum; Catholici enim toti in eo erant, ut Saxonix Elector, aliique urbium Imperialium Principes Lutheri erroribus infecti mutuis dissidiis a civitatum Zwinglii doctrinæ addictarum Deputatis, aliisque Sacramentariis circa Evcharistiæ articulum scinderentur. Abs dubio etiam valuisset successus, nisi Hassiæ Landgravius hanc dissensionem prævertisset, atque singulis exposuisset, quod inter utramque partem non usque adeo ingens doctrinæ discrimen intercedat, ut sese ab invicem separare, necesse foret; facile enim inter se conciliari possent, cum tamen, si in duas factiones discederent, Catholici numero auferentur, eorumque divisionem in rem suam versuri essent. Hujus rationibus aquiescebant omnes, seu verius nondum eo tempore ingenitum bellum inter Lutheri & Zwinglii Sectatores in apertas flammæ erumpebat. Post hæc Ferdinandus die quinta Aprilis separatim aliquot civitatum Imperialium Deputatos evocabat, atque illos, eo quod spreto Cæsaris edicto plurima innovassent, acriter primo redarguebat, denique ut ad reliquorum

Sæcul. XVI. A.C. 1529. Ordinum sententiam sese adjungerent, sedulo hortabatur, ne forte, inquiebat, hæc comitia animis Germanorum conciliandis instituta, graviore Seditioe dissolvantur, atque ob eorum diffidia repenitus infecta finiantur. Ad hoc responderunt Deputati: Nos nequiquam Cæsari injuriam intulimus, neque legitimi Concilii judicium declinavimus; de cetero nil nobis magis in votis est, quam pacem procurare, suæque Majestati Cæsareæ in omnibus satisfacere.

§. LXII.

*Missæ Sacrificium ab Argentinensibus abrogatum.*

*Sleid. lib. 6. pag. 192.* Porro Ferdinandus potissimum ea ex causa querebatur, quod uno circiter Mense ante Comitiorum celebrationem Argentinenses die vigesima Februarii decretum condiderint, in quo Missæ Sacrificium tamdiu abrogandum sanxerunt, donec ejusmodi cultum Deo acceptum esse, ab eorum adversariis demonstraretur. Firmabatur hoc edictum in Senatu ex trecentis civibus conflato, cujus jussu denique in omnibus hujus Provinciæ locis eo fine promulgabatur, ut cuncti eorum subditi illud integra fide observarent. Postea Senatus hac de re Episcopum certiosem reddebat, qui qui-

quidem tam fatalem nuncium non sine ingenti animi sui mærore percepit, fidei tamen hostibus nonnisi Christianæ patientiæ scutum opponere poterat; quippe apud Argentinenses Wolfgangi Capitonis & Martini Bucerii, qui hujus decreti Auctores erant, sententia prævalebat.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1529.

§. LXIII.

*Idem cultus Basileæ abolitus.*

Sub idem ferme tempus Missæ Sacrificium itidem Basileæ abrogatum fuit, id petentibus quibusdam civibus. Hi enim, cum Senatus eorum votis cedere renueret, die octava Februarii in Ecclesia Franciscanorum congregati publica urbis loca occuparunt, eo fine, ut Senatores Catholicæ fidei addictos ad abdicandum Magistratus honorem compellerent. His vero obluctantibus seditiosi ad arma convolant, Sanctorum Imagines ac Statuas dejiciunt, easque comburunt, postea Senatum adigunt, *Sleid. l. cit.* ut duodecim Consiliarios Catholicos, quos inter Henricus Meltingerus, & Lucas Zieglerus erant, sua dignitate exuerent; nec his contenti decretum promulgari jubent, quo per totam eorum ditionem Missæ Sacrificium, cultusque sacrarum Imaginum aboleretur. Hoc decretum die duodecima Februarii

K k 4

Sena-



Sæcul. XVI. A.C 1529. Senatus ex ducentis sexaginta Viris compositus ratum habebat. Ejusmodi igitur agendi ratio Ferdinandum adigebat, ut urbium Imperialium Deputatis hanc petulantiam in Comitibus Spirensibus exprobraret.

## §. LXIV.

*Edictum Spirensibus in Comitibus promulgatum.*

Præterea inter Principes Spiræ congregatos diu acriterque de restauranda Wormatiensis edicti auctoritate ultro citroque disceptabatur, ac præpmissis Ferdinandus illud omnino executioni mandandum contendebat, hancque ob rem a comitibus Argentinensem Deputatum nomine Daniele Miegum excludi jubebat. Equidem ceteræ urbes, quas itidem hæc agendi ratio spectabat, pro illo deprecabantur, simulque postulabant, ut servata Imperii consuetudine Deputati in jurium suorum usu minime turbarentur, donec lis in libera juxta ac legitima Synodo dirimeretur; quinimo minari audebant, quod nulla prorsus subsidia pro bello Turcico suppeditare velint, nisi eorum postulatis mos geratur. Verum omnes eorum minæ precesque in irritum cecidere, nec ultra  
Argen-

Argentinenſis Deputatus ad comitia ad-  
mittebatur. Sæcnl. XVI.  
A C. 1529.

Ut autem inter diſſidentes aliqua ſaltem concordia reſtitueretur, ex plurimorum Suffragiis die decima tertia Aprilis novum condebatur decretum, quo edictum in prioribus comitiis Spirenſibus promulgatum explicabatur. In eo jam olim ſtatutum erat, *ut cuilibet Principum ac Statuum Imperii circa Wormatienſe edictum ita agere liceat, ut hi Deo ſimul & Cæſari juſtam aliquando poſſent reddere facti ſui rationem* (\*).

*Pallavic. hiſt. Conc. l. 2. c. 8. Sleidan. l. 6. pag. 19.*

Cum vero non pauci hæc ipſa verba in perverſum prorfus ſenſum detorque-  
rent, indeque nova varii generis dogmata promiſcue propugnandi occaſionem captarent, hinc ad coercendam ejusmodi libertatem Principes novum promulgabant edictum hujus tenoris:  
*Qui Wormatienſe Cæſaris edictum contra Lutheri hæreſin hucusque ſervarunt, illud deinceps quoque ſervent ad Concilium uſque, de quo Cæſar jam prope certam ſpem facit, & populum etiam huc adſtringant: qui vero doctrinæ genus mutarunt, neque diſcedere jam ab eo poſſunt abſque metu ſeditionis, ut hi ſibi temperent impoſterum, nec aliquid præterea innovent uſque ad Concilii tempus:*

*Coch. hoc an.*

K k 5 deinde

(\*) Vide Lib. CXXX. §. LXXVI. pag.

Sæcul. XVI  
A.C. 1529.

deinde ne doctrina eorum, qui de Cæna Do-  
mini secus, quam Ecclesia, docent, recipia-  
tur, neve abrogetur Missa: nec iis in locis,  
ubi novum est doctrinæ genus, impedimen-  
tum fiat, quo minus ad Missam, qui volent,  
accedant: Anabaptistis, qui suum dogma  
pertinaciter defendunt, capitis pœna consti-  
tuitur, & Ecclesiæ Ministris injungitur, ut  
juxta probatam ab Ecclesia interpretationem  
doceant, alia vero dogmata, de quibus for-  
te disputari posset, non attingant, sed Con-  
cilii Decretum expectent: ad hæc, ut pacem  
inter se colant omnes Ordines, & Religio-  
nis caussa nec damnum invicem dent, nec  
alter alterius ditioni subditos in suam fidem,  
aut tutelam recipiant: qui secus fecerint,  
proscriptorum numero jubentur esse.

§. LXV.

Quorundam Principum oppositio con-  
tra hoc edictum.

Sleid. l. 6.  
pag. 196.  
Pallav. l. 2.  
c. 18. p. 116.

Quamvis hoc edictum non solum mo-  
derate admodum esset conceptum,  
sed etiam Principibus, qui a vera fide  
defecerant, favere videretur, nihilomi-  
nus haud deerant, qui eidem graviter  
oblucentur. Hos inter præcipui erant  
Saxoniae, & Brandenburgi Electores,  
Ernestus & Franciscus Luneburgi Du-  
ces, Philippus Hassiæ Landgravius, &  
Wolfgangus Anhaltinus Princeps, qui  
omnes

omnes huic edicto adversabantur, eo-  
 quod manifestis, ut inquiebant illi, S. A. C. 1529.  
 Evangelii veritatibus contrarium esset:                       
 Caussam vero suæ oppositionis ita pa-  
 lam exponebant: *Standum est superioris*  
*Conventus Decreto, quo sua cuique Religio*  
*permittitur adusque Concilium: ab eo mini-*  
*me discedendum, neque sunt violanda, quæ*  
*tunc pacis retinendæ caussa post multam de-*  
*liberationem pacta fuerunt, & signis atque*  
*jurejurando confirmata: nos quidem exem-*  
*plo nostrorum majorum volumus omnia Cæ-*  
*saris caussa: quantum etiam facultatibus at-*  
*que viribus possumus, libenter ad ejus usum*  
*atque dignitatem conferemus: præsens vero*  
*caussa ad omnium salutem pertinet sempiter-*  
*nam: quod igitur ab ipsis in eo dissentiamus*  
*omnes, ne moleste ferant: sicut enim superius*  
*decretum de communi omnium voluntate fa-*  
*ctum est, ita quoque nisi pariter assentiantur*  
*omnes, rescindi non potest, nec irritum fie-*  
*ri: quominus ipsi, quam velint, Religionis*  
*formam, suos intra fines constituent, non*  
*repugnamus, ac rogamus Deum, ut suæ cog-*  
*nitionis lumen in omnium mentibus accendat:*  
*annis nunc aliquot, multa est, doctrinæ*  
*caussa, dissensio ac simultas: ejus autem,*  
*quæ sit origo, quis author, conventu No-*  
*ribergico fuit quodammodo demonstratum,*  
*& ipsiusmet confessione Pontificis, & ipso-*  
*rum quoque Principum ac ordinum postula-*  
*tis, quæ numero ad XXX. Legato Pon-*  
*tificio*

Sæcul. XVI.  
A. C. 1529.

tificio tradita sunt: quorum tamen nulla est adhuc facta emendatio: deliberationum autem omnium hic semper fuit finis, quod tollendis videlicet controversiis & corrigendis vitiis nulla sit via expeditior Concilio, quod autem eo prætermisso, nunc decreverint, ut qui doctrinæ genus mutarunt, neque sine turba jam illud relinquere possint, nihilque amplius innovent, id non possumus laudare, neque recipere, nisi velimus ei doctrinæ, quam uti piam atque veram hucusque professi sumus, fidem derogare, ac fateri, discedendum esse quidem ab ea doctrina, si modo sine tumultu atque seditione fieri posset: quod ipsum quid esset aliud, quam verbum Dei, quod purum habemus ac impollutum, abnegare? quo sane nullum potest admitti gravius peccatum: nec enim sermone tantum, sed ipsa quoque re confitendum est: quantam hæc etiam abnegatio ruinam secum traheret, & quam esset futura perniciosa multis Evangelii cupidis, facile potest cogitari: quod ad Missam attinet, notum est, quemadmodum nostræ ditionis Ecclesiæ Ministri, pontificiam Missam invictis & firmis Scripturæ testimoniis expugnaverint, in ejusque locum instituerint Cœnam Domini, juxta præscriptum atque mandatum Christi, juxtaque morem ab Apostolis observatum: quare nec istam quoque decreti particulam admittimus, neque nostris, ut adsint Missæ jam abrogatæ, possumus concedere: nam ut maxime sincerus atque rectus esset

esset usus Missæ Pontificiæ, tamen, si <sup>Sæcul XVI.</sup>  
 duas ipsi Missas inter se contrarias in suis <sup>A C 1529.</sup>  
 Templis admittunt, quam id sit futurum ma-  
 li exempli, & quantæ sint ex eo similitates  
 orituræ, nemo est, qui non videat: quod au-  
 tem præscribunt, quid suis ipsi populis man-  
 dare, & quas in suis ditionibus ferre debeant  
 leges, valde miramur, præsertim cum ipsi  
 minime sint passuri, si quis hoc invicem apud  
 eos tentaret: quid de corporis atque sangui-  
 nis Christi præsentia, nostris in Ecclesiis do-  
 ceatur, omnibus constat, neque longiori opus  
 est explicatione: sed tamen, quod antea sæ-  
 pe diximus, nunc etiam nobis videtur, non-  
 dum esse videlicet in illos, qui secus docent,  
 ejusmodi faciendum decretum, eo quod Cæsa-  
 ris diploma nullam ejus rei mentionem faciat:  
 deinde, quod ejus doctrinæ defensores neque  
 vocati sint nec auditi: quam autem non sit  
 decorum nec æquum, in rebus tam arduis ali-  
 quid ullo tempore statui, non auditis iis,  
 quorum interest, etiam atque etiam est consi-  
 derandum: jam illud, quod dicunt, Evan-  
 gelium esse docendum juxta receptas & ab  
 Ecclesia probatas interpretationes, recte qui-  
 dem habet, sed in eo lis est, quæ sit Eccle-  
 sia vera: cum autem nulla sit doctrina cer-  
 tior, quam Verbi divini, cumque præter  
 illud nihil doceri debeat, & quæ videntur  
 obscuriora Scripturæ loca non possint re-  
 dîus, quam aliis ejusdem Scripturæ locis  
 illustrioribus explicari, idcirco permanebi-  
 mus

Sæcul. XVI  
A.C. 1529.

mus in eo vestigio, & dabimus operam, ut veteris atque novi Testamenti scripta pure ac perspicue doceantur: hæc enim unica est ratio plane certa & indubitata: hominum vero traditiones nullo nituntur firmo fundamento: postremi conventus decretum, pacis atque concordie factum est causa: verum, si præsens hoc valere debet, maximis turbis & offensionibus via patefiet; jam enim licet adhuc quidem suspensum fuerit edictum illud Wormatiense, Principes quidam eo spectant, ut privatorum aliquot, suæ ditionis hominum fortunas avertant, & ad se transferant, ob non servatum edictum, ex eoque facile intelligitur, quid sit futurum, si nunc edictum illud denuo sanciat, & ex ipsis aliqui contra se vim expediant, & ad ea cogere velint, quæ salva conscientia præstari nequeunt: illud autem non recte dicitur postremi conventus decretum, ejusmodi verbis esse conceptum, ut eo plerique abutantur, & interea dum Concilium habetur, licere sibi quidvis putent: hæc nimirum ab iis potissimum sparguntur, qui supremi judicii metu, cum patefient omnia, parum afficiuntur; ad nos vero quantum attinet, non recusamus, quo minus iis, qui violatum a nobis dicunt illud decretum, apud æquos judices respondeamus: quæ cum ita sint, non assentimur huic ipsorum decreto, nostrique facti rationem reddemus, & palam omnibus, & ipsi quoque Cæsari: ac interea, dum inchoetur,

aut

aut publicum totius Orbis, aut Provinciae Germanicae Concilium, nihil faciemus, quod iure possit improbari: quod insuper de colenda pace, de non intervertendis aliorum bonis, de Anabaptistis, deque Typographis decretum est, in eo quoque, quod nostri est Officii, non ignoramus.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1529.

§. LXVI.

*Horum oppositio quatuordecim Imperialium civitatum accessu firmata.*

Horum Principum declarationem firmabant quatuordecim Imperialium Urbium Deputati, qui biduo post adversus Spirense Decretum reclamabant, suamque protestationem, ut vocabant, scripto palam exponebant, ac denique die decima nona Aprilis diploma edebant, quo ab omnibus nuper gestis ad Cæsarem, ad futurum Concilium generale aut nationale (\*), necnon ad omnes

*Sleid. Palavicin. l. cit.*

(\*) A tempore Concilii Basileensis frequentissima ejusmodi appellationum mentio in præfenti Historia occurrit, nullusque dubito, quin prudens Lector probe animadverterit, quod omnes seditiosi vel ad honestandam suam rebellionem adversus legitimum Superiorem, vel ad impune inducendos errores, vel denique ad effugiendam pœnam aperte promeritam hoc appella-



Sæcul. XVI nes Judices minime suspectos appella-  
A.C. 1529. bant; quapropter nonnullos nominabant  
 ad Cæsarem ablegandos, qui hujus edi-  
 cti revocationem impetrarent. Erant  
 autem præfatæ quatuordecim urbes Ar-  
 gentina, Norimberga, Ulma, Constan-  
 tia, Reutlinga, Winshemium, Mem-  
 minga, Lindavia, Campodunum, Heil-  
 bruna, Isna, Wisseburgum, Nordlinga,  
 ac denique Sangallum.

Haud dissimulare possumus, quod in  
 hac *protestatione* articulus de præsentia  
 reali admodum caute fuerit expositus  
 propter dissidia, quæ tum inter Lutheri  
 & Zwinglii affectas circa hoc dogma  
 fervebant; itaque Lutheri doctrinam se-  
 ctantes in præfato suo scripto hæc dun-  
 taxat, adducebant: „ Aliunde notum  
 „ est, quæ opinio circa præsentiam  
 „ Corporis & Sanguinis Christi Domi-  
 „ ni in Evcharistia in nostris Ecclesiis  
 „ prævaleat, de cetero doctrina nostra  
 „ prorsus decreto nec excludenda, nec  
 „ damnanda videtur, eoquod hucus-  
 „ que nec desuper vocati, nec auditi  
 „ simus. „

§. LXVII.

---

pellationis remedio non sine maximo Christia-  
 næ Fidei ac Reipublicæ detrimento abusi fuerint.

## §. LXVII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1529.*Lutheri Seditatores, unde Protestan-  
tes dicti?*

Ex hac celebri *protestatione*, seu repugnantia profluxit famosum illud *Protestantium* nomen, quod Germaniæ Hæreticis primo attributum, postea vero a Calvini assæctis ex eadem origine descendentibus eo fine adoptatum fuit, ut paulo honestiori nomine nuncuparentur, cum antea varia eis imponerentur nomina, quæ illis summopere displicebant, quamvis ceteroquin Lutheri doctrinæ religiosius addicti Calvinistas odio non minus acerbo quam ipsosmet Catholicos infectentur.

Cum vero Ferdinandus a comitiis, priusquam Principes præfatam intercessionem seu *protestationem* interposuerant, sese subduxisset, atque aliunde agi cæptum esset, ut Turcæ ab expugnanda reliqua Hungarici Regni parte præpedirentur, necnon Austria, Styria, & Carinthia ab eorum invasionibus defenderetur, hinc Archidux probe prospexerat, frustra se a Principibus auxilia præstolari, nisi quodammodo Protestantium petitis cederet. Porro cum Catholicorum Principum arma pro Ferdinando decertare deberent, ac ipse

*Hist. Eccles. Tom. XXXV L1 quo-*

Sæcul. XVI. quoque Hungarici Regni salutem non  
A.C. 1529. minus cordi haberet, quam Carolus V.  
 ejus frater Mediolanensis Ducatus re-  
 cuperationem oppido necessariam cen-  
 feret, eapropter Archidux Cæsareæ  
 Majestatis suæ agendi rationem imita-  
 batur, atque Lutheranis & Sacramen-  
 tariis permittebat, quatenus eis, quan-  
 tum ad Religionem attineret, ita agere &  
 statuere liceret, ut de factis suis scirent Deo  
 & Cæsari rationem reddere, donec aliter  
 hac de re decerneretur (\*). His ita dispositis  
 comitia fuere soluta, ac denique tota  
 Principum indignatio sese in Anabapti-  
 stas effundebat, qui rursus septem spar-  
 gebant articulos, quibus abominanda  
 sua

*Cochl. act. script. Luth. ann. 1529. pag. 198.*

(\*) Ita quidem Continuator; nulla tamen verosimili ratione evincitur, quod Cæsar hisce Sectariis credendi libertatem indulserit; nonne ipsemet Continuator in §. LXV. disertis verbis affirmabat, quod Cæsaris nomine edictum fuerit sancitum adversus eos, qui ex hisce Wormatiensis decreti verbis: *Cuilibet Principum ac Statuum Imperii &c.* Varias Sectas amplectendi libertatem perperam deducere moliebantur. Equidem Continuator Cochlæum allegabat; verum ille de Cæsaris exemplo nec verbum habet, sed duntaxat affirmat, quod Ferdinandus *necessitate cogente consenserit in publicum decretum, quo unicuique quantum ad Religionem &c.*

sua dogmata firmare nitebantur. Ho- Sæcul. XVI.  
 rum primus erat: *Nemo Christianus gla-* A.C. 1529.  
*dium gerere, nemo cum Magistratu esse, aut*  
*potest, aut debet ex illo Lucæ cap. 22. v.*  
 25. Reges gentium dominabuntur illis,  
 vos autem non sic. II. *Furamentum fa-*  
*cere nemo debet, jubente etiam Magistratu.*  
 III. *Deus veros Christianos non ad id vo-*  
*cavit, ut jus dicant, nec ut tranquillitati*  
*publicæ invigilent.* IV. *Qui Anabaptista-*  
*rum dogma non sequuntur, hædi sunt stan-*  
*tes in extremo judicio ad sinistram.* V. *Ca-*  
*thedra Moysis penes neminem est, nisi penes*  
*Anabaptistas, nemo etiam præter eos inter*  
*electos numerandus est.* VI. *Soli Anaba-*  
*ptistæ ad prædicandum Evangelium missi*  
*sunt.* VII. *Omnes sunt reprobi, & pro*  
*damnatis habendi, qui sese Anabaptistarum*  
*doctrinæ opponunt.*

## §. LXVIII.

*Anabaptistarum articuli a Cochlæo  
confutati.*

Hosce articulos Cochlæus tanta foli- Cochl. ibid.  
 ditate juxta ac moderatione confu-  
 tabat, ut non modo a Catholicis, sed  
 ab ipsis etiam Protestantibus ejusdem  
 liber cum ingenti utriusque partis ap-  
 plausu exciperetur. In eo primum ar-  
 ticulum impugnat, ostenditque, quod  
 Christus Dominus doctrinam suam no-  
 bis

Sæcul. XVI. bis tradendo eo collimaverit, ut fideles  
A.C. 1529. subjiceret illorum Superiorum legibus,  
 sub quorum dominio nascuntur, dum-  
 modo ejusmodi leges salutis æternæ non  
 adversentur; hanc quoque doctrinam,  
 quam Christus ore tenens tradidit, suo  
 quoque exemplo, ut inquit Coch-  
 læus, confirmavit, eo quod rem huma-  
 nis viribus superiorem patrare voluerit,  
 eo fine, ut tributum solvere posset. Po-  
 stea demonstrat, secundum non minus  
 quam tertium articulum ex Priscilliani-  
 starum hæresi depromptum jam pridem  
 ab Ecclesia fuisse damnatum. Quar-  
 tum vero reprobatur tanquam sacris liti-  
 ris manifeste contrarium, eo quod ante  
 Münzeri ortum nulla unquam Anaba-  
 ptistarum memoria extitisset, ac insu-  
 per in omnibus sacri Evangelii locis,  
 ubi de extremo judicii die, necnon de  
 iis, qui a dexteris divini judicis collo-  
 candi sunt, unice de sanctis actionibus,  
 nunquam vero de iterato baptis-  
 mate mentio fieret. Denique adversus reli-  
 quos articulos propugnat Cochlæus,  
 hoc dogma, quod in Catholica Religio-  
 ne nulli alii præter Anabaptistas ad  
 prædicandum Evangelium missi sint,  
 adeo falsum esse, ut etiam nullo un-  
 quam pacto ostendere valeant, quod ip-  
 si legitime vocati essent, cum vix quin-  
 tus effluxisset annus, ex quo suam  
 sectam

sectam palam facere ausi fuissent, præ-  
 terquam quod Thomas Münzerus eo-  
 rum caput a nullo Episcopo vel missio-  
 nem, vel manuum impositionem rece-  
 pisset, quinimo cunctis etiam Anabapti-  
 stis optime persuasum esset, quod hic  
 Hæresiarcha semetipsum ultro in Verbi  
 divini ministerium ingessisset, atque in  
 fraudis suæ subsidium falso se divinitus  
 admonitum mentitus fuisset, ut eo fa-  
 cilis vocationis suæ defectum coram  
 hominibus occultaret.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1529.

§. LXIX.

*Buda in Hungaria a Solimano capta.*

Interea Ferdinando ad reprimendos  
 Turcarum insultus parum profuit in-  
 dulgentia, qua Lutheri sectatoribus ce-  
 dere videbatur; quippe Solimanus pri-  
 mo vere exercitum centum quinquagin-  
 ta bellatorum millibus validum in aciem  
 eduxit, Budamque cinxit. Equidem  
 Magistratus confestim delatis clavibus  
 urbem Solimano tradiderunt, Comes  
 vero Nadaftius, qui arcem cum septin-  
 gentis Germanis tuebatur, sese dedere  
 omnino recusabat; quapropter Turcæ  
 eam toto armorum apparatu oppugna-  
 re cæperant, atque cuniculo ignem  
 cum tanto successu admoverant, ut sub-  
 ruta propugnaculi parte obsessi vita re-  
 busque

Nic. Ishaun.  
 Hist. Hung.  
 lib. 10.  
 Raynald. ad  
 hunc ann.  
 num. 47.

Sæcul. XVI busque salvis sese victoris potestati sub-  
A. C. 1529. jicere compellerentur: Cum vero Nada-  
 dastius nec hisce quoque deditiois le-  
 gibus subscribere vellet, a præfidiario  
 milite in carcerem conjiciebatur, nec  
 inde a Turcis liberatus, nisi ea lege, ut  
 ad Solimanum deduceretur. Hic vero  
 Comitem libero Joannis Transilvaniæ  
 Præfecti, cum ejusdem subditus esset,  
 arbitrio reliquit, a quo tamen Nada-  
 dastius cum tanta clementia excipiebatur, ut  
 haud majorem ab innata ejusdem pie-  
 tate expectare potuisset.

## §. LXX.

*Vienna a Solimano cincta, sed ob-  
 ditione liberata.*

*Sleid. comm.* Sultanus Budensi urbe capta cum co-  
*l. 6. p. 199.* piis suis in Austriam excurrit, a ne-  
 mine præpeditus, nisi ab Altenburgen-  
 sibus, quorum tamen urbem irruptione  
 facta cepit: Cum vero Ibrahimus Bassa  
 cum Austriæ Principibus clandestina  
 foveret consilia, hinc studiose tot mo-  
 ras quærebat, ut Solimanus mediam  
 æstatis partem otiosus transigeret, ejus-  
 que exercitus nonnisi vigesima sexta Se-  
 ptembris die Viennæ admoveri posset.  
 Hæc Solimani cunctatio Ferdinando op-  
 portunum urbem muniendi spacium in-  
 dulsit; quapropter eidem viginti pedi-  
 tum,

tum, equitumque duo millia, Viros Sæcul. XVI.  
A.C. 1529.  
longa militia efferatos imposuit, hujus-  
que præsidii imperium Comiti Palatino  
detulit. Ergo Turcæ inaudita rabie  
Viennam adoriuntur, quam tamen haud  
segniori animi fortitudine, tamque in-  
fracta pertinacia obsessi tuebantur, ut So-  
limanus jamjam ingruente asperioris  
hyemis rigore exercitum suum die deci-  
ma quarta Octobris ab urbe avocare  
compelleretur, postquam triginta omni-  
no diebus illam arcta prorsus obsidione  
presserat, totamque Hungariam itera-  
tis incurfionibus vexaverat. Porro to-  
to obsidionis tempore cæsa sunt Turca-  
rum ferme sexaginta millia; Solimanus  
vero accepta hac clade Budam redire  
cogebatur, ubi supremos Hungariæ Or-  
dines convocans, denuo Joannem Za-  
polum in Regni jure confirmavit, eum-  
que legitimum illius Regem, ac fide-  
lem suum amicum proclamavit, applau-  
dentibus cunctis Regni Proceribus.

## §. LXXI.

*Consilia de pace Cæsarem inter &  
Franciae Regem stabilienda.*

Dum hæc interea gerebantur, Mar- Mem. du Bel-  
lai l. 3  
Guicc. l. 13-  
Bellefor. l. 6.  
c. 44.  
garita Austriæ Archiducissa, ac  
Belgii Gubernatrix cum Ludovica Sa-  
bauda Francisci I. Matre consilia agita-  
bat,



Sæcul. XVI.  
A.C. 1529.

*Sleid. l. cit.*  
16. p. 199.

bat, ut Cæsarem inter & Galliarum Regem pax conciliaretur; quinimo mutuo utriusque consensu decernebatur, ut exeunte Mense Majo in urbe Camera-censi de concordiae pactis ageretur, quamvis bellum in Italia continuo adhuc ferveret, non sine prospero Cæsareorum successu; quippe Antonius de Leva Gallos in Mediolanensi ditione acrius infectabatur, eosque capto Comite San-Pauliano, qui Gallico exercitui præerat, ingenti cæde prostrabat, utraque tamen Princeps Franciæ Regem in Cæsaris gratiam reducere minime desperabant: nec vana erat illarum fiducia; quippe eo magis ad perficienda pacis negotia fuere idoneæ, quo arctior inter illas necessitudo intercedebat, ac præter ingenii aciem rerumque experientiam fervens juxta ac sincerum in eis ferveret desiderium, ut tandem inter ambos Reges firma pax redderetur. Non ita pridem Carolus Imperator summum Pontificem in arce S. Angeli, Franciscum vero Galliarum Regem Madriti captivum tenebat; jam autem proprio experimento edoctus probe cognoscebat, quod pacta cum utroque inita cum nimis onerosa fuissent, sua firmitate destituantur, aliunde vero totum exercitus sui robur impendere satagebat, ut sese tam Turcis, quam Lutheri

affe-

aflectis opponeret, eapropter Romani ac Madritensis tractatus asperitatem per Barcinonense, & Cameracense foedus mitigare constituit, decrevitque, ut relicta Hispania in Italiam contenderet.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1529.

Porro cum summus Pontifex nil ardentius exoptaret, quam ut ejus familia in Florentiæ Imperium, unde depulsa fuit, reponeretur, hinc Cæsarem continuo urgebat, imo repetitis literis proprio Chirographo exarratis importune sollicitabat, ut & ipse Virum ablegaret plena agendi facultate munitum, cujus opera firmum foedus, utilisque concordia stabiliri valeret.

§. LXXII.

*Proficua pax Pontificem inter & Cæsarem.*

Cum igitur Carolus Imperator nil antiquius haberet, quam ut Sedi Apostolicæ obsequeretur, simulque indignationem, quam Papa in eum concipere potuisset, declinaret, hinc Antonium de Leva in Italiam ablegabat, qui die vigesima sexta Junii cum Clemente VII. foedus iniit, cujus præcipuos articulos hic referimus.

Guicc. l. 19.  
Belcar. l. 20.  
Panvin. in Clem.  
Raynald. ad hunc an n. 60.  
Ant. Vera hist. Carol. V. pag. 161.

I. Summus Pontifex quam primum poterit, saltem ad finem sequentis anni

Pallav. hist. Conc. Trid. l. 3. c. 2.

L 1 5

cum

Sæcul. XVI. cum tota Curia sua Bononiam se con-  
A.C. 1529. feret, ut ibidem Cæsari Imperii coronam imponere possit. II. Absolutis hujus coronationis solemnibus Imperator quantocius valido exercitu Florentiam cinget, nec inde nisi capta urbe copias suas revocabit. III. Alexandrum Mediceum, qui summi Pontificis ex fratre Nepos erat, in pristina Florentinæ urbis statusque jura reponet. IV. Eidem Margarita Cæsaris Notha filia nubet, quam primum viro matura erit. V. Papa ad Florentinæ urbis obsidionem octo armatorum millia suis impensis alenda suppeditabit, junctisque viribus cum Cæsaris exercitu expeditionem urgebit. VI. Pariter Pontifex diploma concedet, quo Cæsar, cunctique ejus Successores perpetuo fruuntur jure, vi cujus viros nominare, ac exhibere valent ad octo Regni Neapolitani Archiepiscopatus, quos inter designabantur Brundusinus, Auxianensis, Matealanus, Hydruntinus, Regio-Julienfis, Salernitanus, Tranensis, & Tarentinus: idem quoque jus extendebatur ad sexdecim Episcopatus, nimirum Arianensem, Accerranum, Aquilanum, Cortonensem, Cassanensem, Castellatum, Gallipolitanum, Puteolanum, aliosque. VII. Summus Pontifex in possessionem Cerviæ, Ravennæ, Mutinæ, Rhegii ac Rube-

Ruberiæ restituetur, eidemque cedetur Sæcul. XVI. A.C. 1529.  
 Ferrariensis Ducatus, ac denique Mediolanensis Ducis caussa summo Pontifici tanquam judici examinauda committetur. VIII. Adimpletis hisce conditionibus Papa Cæsari diploma de iusta Regni Neapolitani possessione concedet, ac deinceps nivei tantum coloris equum quotannis tributis nomine ab eodem accipiet. IX. Cæsaris exercitui Papa permittet, ut libere per ditones Pontificias transire possit. X. Cunctos, qui in Romanæ Urbis spoliatione partem habebant, a Censuris solvet, necnon Carolo V. ejusque fratri Ferdinando concedet, ut ad sustinendos belli Turcici sumptus intra suas ditones quartam Ecclesiasticorum proventuum partem impendere valeant.

## §. LXXIII.

*Cæsar ex Hispania Genuam delatus.*

Hoc foedere ita Urbevete concluso Cæsar totus in eo erat, ut ad suscipiendum iter necessaria disponeret; hanc in rem præprimis Isabellam Imperatricem Conjugem suam nominabat Hispani Regni Gubernatricem, sui que Filii Philippi Tutricem, postea vero exeunte Mense Julio iter aggrediebatur,

*Ant. de Vera  
 hist. de Charles V. p. 173.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1529.

tur, comitantibus eum præcipuæ Nobilitatis Proceribus, qui solemnem coronationem affisterent. Vix Barcinonem advenerat, cum quinque Deputati, qui in præfata urbe Senatorum vices agebant, Cæsari significarent, apud eos in more quidem positum esse, quod Regibus, quos excipiunt, nec obviam procederent, nec ex equis descenderent, dum illos recipiunt, atque officiosa salutatione honorant: nihilominus cum Regum suorum hucusque nullus Cæsarea simul dignitate insignitus fuisset, ideo hac in re se lubenter id omne executuros, quod Cæsareæ Majestati suæ præcipere placuerit. Prompta hac obsequendi voluntate Carolus magnopere delectabatur, simulque Deputatis hunc in modum reponebat: „ Ut ex equis vestris in terram descendatis, haud peto; pluris enim facio, me esse Barcinonensium Comitem, quam Romanorum Imperatorem. „ His dictis integro biduo in præfata urbe diversatus, ibidem ratum habuit fœdus, quod Antonius de Leva Urbeveti die vigesima sexta Junii cum summo Pontifice inibat. Equidem Ciaconius pluresque alii Scriptores hæc gesta fuisse referunt exeunte Mense Junio, attamen inspecta die, qua Cæsar Barcinonem venisse dicitur, hujus fœderis approbatio non nisi

*Ciacon. t. 3.  
pag. 460.  
Daniel hist.  
de France  
t. 5. p. 623.*

nisi ad initium Mensis Augusti revocanda videtur.

Sæc. XVI.

A C 1529.

§. LXXIV.

*Pax Cæsarem inter & Galliarum Regem Genuæ stabilita.*

Dies erat nona Augusti, cum Imperator matutino tempore primo Hispanæ, demum Italicæ classis navem prætoriam conscenderet. Huic præerat Andreas Auria, qui ad primum Cæsaris ingressum in Principem Melfitanum evehctus est. Navigabat Imperator ventis admodum secundis, menseque Augusto ad medium vergente feliciter Genuam pervenit, festivis plausibus ac populi acclamationibus exceptus; ex tota enim Italia frequens erat hominum concursus, qui omnes Principem tot tantisque virtutibus conspicuum cerne-  
re certabant. Cum vero Imperator, priusquam Madrito excederet, provide jussa daret, ut singulis diebus accurate de pacis cum Gallis conciliandæ negotio edoceretur, hinc per nuntios Cameraco Genuam missos percepit, quod die quinta Mensis Augusti fœdus esset firmatum, opera duarum Principum, quæ erant Margaritha Belgii Gubernatrix ac Caroli V. amita & Ludovica de Sabaudia Francisci I. Mater. Harum

rum

Sæc. XVI.  
A.C. 1529.

rum enim sollicitudine Cameraci conventus agebatur pompa atque magnificentia eo clarior, quo felicius intra septem hebdomadarum angustias totum concordiae negotium absolutum est, inito foedere, quod vulgo *Illustrium sœminarum pax* nominabatur, eoquod eandem præfatæ Principes tam felici successu procurassent, ut hujus concordiae firmitati nec clades, qua San-Paulianus afficiebatur, nec foedus inter Papam & Hispaniæ Regem initum quovis pacto obesse potuerit. Porro hoc foedus triginta duos omnino complectebatur articulos, quorum tamen nonnisi præcipuos impræsentiarum referemus.

## §. LXXV.

*Articuli foederis Cameracensis inter  
Carolus V. & Franciscum I.  
initi.*

*Mem. du  
Bellai lib. 3.  
Guicc. l. 19.  
Sle dan. l. 6.  
Paul. Jov.  
l. 26.  
Raynald. ad  
hunc ann. n.  
67. & seq.*

Igitur Galliarum Rex, ut pacis negotium promoveret, ambosque filios suos Delphinum, & Aureliæ Ducem Cæsaris manibus eriperet, spondit, quod Imperator viginti centena ducalium nummum millia solvere velit, eo pacto, ut prima die sequentis Mensis Martii illico duodecim centena millia numerarentur, simulque ambo Regis filii in pristinam libertatem restituerentur.

Reli-

Reliqua octo centena millia Galliarum Sæc. XVI.  
 Rex Angliæ Regi penderet, ut inde solvi A.C. 1529.  
 possent illa ducenta octoginta aureorum  
 millia, quæ Cæsar Anglo debebat: Pro  
 residua vero pecuniarum summa Fran-  
 ciæ Rex promisit, quod censum solvere  
 velit, ut autem præfatos census redime-  
 ret, pollicitus est, se Vindocinensis  
 Ducis viduam ejusque subditos eo indu-  
 æturum, ut Cæsari cederent cunctas  
 terras, quas in Flandria, Brabantia,  
 Hannonia, necnon in aliis Belgii Pro-  
 vinciiis possiderent. Præter hæc pacta  
 insuper sancitum I. nuptiæ inter Fran-  
 ciscum Regem, & Eleonoram viduam  
 Lusitanæ Reginam, natu majorem Ca-  
 roli V. Sororem promissæ adimplean-  
 tur, ea tamen lege, ut hæres mascula,  
 si quæ ex hoc connubio susciperetur,  
 pariter Burgundiæ Ducatus hæres sit.  
 II. Vi hujus fœderis Galliarum Rex in-  
 tra sex hebdomadas a prima firmati  
 fœderis die computandas revocet om-  
 nem militem ex Italia, & Pedemontio,  
 necnon ex urbe & arce Hedenanensi,  
 eamque Cæsari restituat. III. Libere  
 abdicet se Rex omni jure ac præroga-  
 tiva, quam in Mediolanensem Ducatum,  
 necnon in Flandriæ & Arthesiæ Co-  
 mitatus usurpaverat, excepta tamen  
 Terouana urbe, cunctisque terris eidem  
 adjacentibus. IV. Idem præter vigin-  
 ti



Sæcul. XVI.  
A.C. 1529. ti centena aureorum millia adhuc quin-  
genta aureorum nummum millia pen-  
det nomine Imperatoris, quæ hic An-  
gliaë Regi mulctæ nomine debebat, eo-  
quod contra pactorum fidem Mariam  
Henrici VIII. Filiam ducere recusasset.  
V. Franciaë Rex ab eodem Henrico  
redimet aureum Liliū pretiosissimis  
gemmais distinctum, atque genuino Cru-  
cis Christi Domini ligno ornatum, quod  
olim Philippus Imperatoris Pater pro  
quingenta aureorum millium summa  
pignori dabat. VI. Borbonii Conne-  
stabilis nuper defuncti proscriptionem  
aboleat, ejusque liberos in paternæ  
hæreditatis successionem admittat, ce-  
teros vero omnes, qui adversus Fran-  
ciam eidem Connestabili adhærebant,  
in bonorum suorum possessionem resti-  
tuat. VII. Denique Ministri, omnes-  
que, qui duobus Regis filiis ab obsequiis  
sunt, liberi dimittantur.

Vicissim pro parte sua Imperator  
tam suo quam suorum Successorum no-  
mine in has pacti leges convenit. I.  
Cæsar Regi Christianissimo, æque ac  
Engolismensi Ducissæ ejus Matri cedat,  
ac remittat omnia tam suprema, quam  
beneficiaria jura, ac potestates, atque  
jurisdictiones in urbes & arces Peron-  
ensem, Rauganam, & Mondideriensem,  
necnon in Bonnoniensem, Guinensem,  
&

& Pontivensem Comitatus aliasque Sæcul. XVI. A.C. 1529.  
 urbes ad Somonam amnem fitas, II. ~~\_\_\_\_\_~~  
 Idem suos justitiæ Ministros adiget, ut  
*sententiæ tam interlocutoriæ, quam definitivæ* effectui dentur, quæ ante nuperi  
 belli tempus a Regis Christianissimi Of-  
 ficialibus pronunciatæ fuerunt adver-  
 sus quoscunque Principes, Proceres,  
 aut Prælatos, qui in præfatis Flandriæ,  
 & Arthesiæ Comitatibus resident. III.  
 Galliarum Rex, a suo promisso solvetur,  
 quo nuper vi Madritensis pacti adstrin-  
 gebatur, ut Cæsaream suam Majesta-  
 tem Bononiam usque pro ejusdem Co-  
 ronatione comitaretur; hæc tamen  
 condonatio ea lege fiet, ut altero post  
 Mense, postquam requisitus fuerit, præ-  
 ter duodecim triremes, quatuor naves,  
 totidemque grandiora navigia nau-  
 tis, militibus, ac Ducibus necessariis o-  
 ptime instructa suppeditet, iisdemque  
 saltem ad semestre tam de belli appa-  
 ratu, quam annona provideat, eo fine,  
 ut Cæsar hac classe, quamdiu ei libue-  
 rit, in Italia uti possit. Præter hæc pa-  
 cta ibidem etiam conventum, ut Princi-  
 pi Arausionensi suus Principatus, suo-  
 rumque bonorum usus restituatur. His  
 utrinque firmatis Franciscus Galliarum  
 Rex cuncta foederis pacta exequi festi-  
 nabat; suos enim filios recipiendi desi-  
 derio flagrabat, quamvis hi nonnisi Men-  
 & *Hist. Eccles. Tom. XXXV.* M m se

Sæcul. XVI. se Junio anni sequentis libertati resti-  
A C. 1529. tuerentur, eo quod Gallis deesset oppor-  
 tunitas colligendi pecunias, quas vi fœ-  
 deris solvere oportebat, simulac Re-  
 gii Filii Monmorentio Connestabili red-  
 derentur.

## §. LXXVI.

*Florentinorum Deputati minus benigne  
 a Cæsare excepti.*

*Ant. Vera  
 hist. de Charl.  
 V pag. 175.  
 Guicc. lib. 19  
 Raynald. ad  
 hunc ann.  
 n. 71. 72.*

Vix octava, qua Cæsar Genuam intra-  
 verat, effluxit dies, cum jamjam o-  
 ctodecim Oratores a Florentinis missi  
 ad alloquium admitterentur. Exceptit  
 eos Cæsar tecto capite, suoque folio sem-  
 per infidens, ipsi vero omnes detecto  
 capite ante Caroli pedes provoluti sum-  
 mo sibi honori ducebant, quod Cæsar  
 eos excipere, atque cum illis colloqui  
 dignaretur. Porro salutabant eum ser-  
 mone ad maximam submissionem com-  
 posito, parumque solliciti, ut præterita  
 excusarent delicta, confestim eorum ve-  
 niam humillime deprecabantur, atque  
 ad orationis calcem supplicabant, ut eis  
 libertatem redderet, qua longo abhinc  
 tempore potiti essent. Verum Cæsar  
 eis hunc in modum respondit: Quam-  
 vis vestra rebellio severas a nobis pœ-  
 nas exposceret, nihilominus clementem  
 me vobis exhibere, ac præteritorum  
 obli-

oblivisci statuimus, ea tamen lege, ut Sæc. XVI.  
A.C. 1529.  
Clementem summum Pontificem Patrem, ac concivem vestrum cum debita submissione ac filiali obsequio in vestram urbem recipiatis, ejusque familiam antiquitate generis adeo conspicuam cunctis honoribus, privilegiis, atque dignitatibus restituatis; memores enim sitis injuriarum, quibus indigno prorsus modo Medicæos de vestra civitate adeo bene meritos habuistis; proin si vos eidem subicere renueritis, sciat velim, nos nunquam defuturos, quo minus æqua Pontificis, suæque familiæ jura pro viribus tuebimur, & si debitam submissionem spontaneo obsequio a vobis obtinere non poterimus, eandem vi extorquere statuimus. Nihilominus tamen Florentini Cæsaris petito acquiescere recusabant.

## §. LXXVII.

*Medicæus Cardinalis a Papa suo Patruo Genuam decretus.*

Dum hæc interea gerebantur, summus Pontifex Medicæum Cardinalem Genuam ablegabat, ut ex Cæsare tempus sciscitaretur, quo coronationis suæ solemnia peragi vellet. Ad hæc Legato reposuit Imperator: Cum diem vigesimam quartam Februarii natalem

M m 2 habue-

Sæcul. XVI. habuerim, eadem quoque coronari de-  
A.C. 1529. fiderarem, si tamen mea Pontifici pe-  
 titio æqua videatur. Hanc diem lu-  
 benti prorsus animo acceptabat Ponti-  
 fex, moxque necessaria disponi cura-  
 bat, ut iter Bononiam versus, ubi hæc  
 solemnitas celebraretur, aggredi posset:  
 Cæsar autem, ut honorificæ Pontificis  
 salutationi vices rependeret, ad eundem  
 Didacum de Corduba Los - Fanosii  
 Marchionem misit, qui sua Pontifici ob-  
 sequia Cæsaris nomine deferret. Hunc  
 comitabantur viginti quatuor adole-  
 scentes generis Nobilitate conspicui, qui  
 Italiam visendi gratia Imperatorem se-  
 quebantur, solemniter pariter inaugura-  
 tionis pompæ interfuturi. Præcipue ve-  
 ro Didacus perbenigne a Papa excipie-  
 batur, ac paulo post Roma Genuam  
 reversus est, ubi obviam habuit Ferra-  
 riæ Ducem, qui itidem Cæsarem salu-  
 taturus illuc venerat. Hunc quoque  
 Carolus cum singulari benevolentia te-  
 stificatione excepit, & quamvis de hu-  
 jus Principis fide agendique ratione ju-  
 stam querendi causam haberet, nihi-  
 lominus vel temporis ratio, aut saltem  
 decencia prohibebat, ne tum indigna-  
 tionem suam exereret.

§. LXXVIII.

§. LXXVIII.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1529.

*Cæsar Placentiam delatus.*

Priusquam Carolus Imperator Bononiam peteret, aliquamdiu Placentiæ, *Ant. Vera l. c p. 186.* Parmæ & Mutinæ substitit: cum vero Placentiæ moraretur, advenerant tres Legati a Papa eo fine missi, ut a Cæsare peterent, quatenus præstita juramenti fide se nunquam Ecclesiæ libertatem violaturum sponderet. His reposuit Cæsar, se jurato promittere, quod nunquam dignitati Pontificiæ ac libertati vim illaturus, nihil tamen de suo jure decessurus esset, (\*) quibus postremis verbis Cæsar haud obscure significabat, in Parmensem & Placentinam civitates quoddam sibi jus competere.

§. LXXIX.

*Protestantium Principum Legatio ad Cæsarem.*

Sub idem tempus advenerant Deputati, quos Principes Protestantes in *Sleid. com. l. 7.* Spi-

(\*) Hæc verba ex Antonii Levæ instigatione ab Imperatore fuisse addita, observat Masenius cum pluribus aliis Scriptoribus.

Sæcul. XVI. A.C. 1529. Spirensibus comitiis congregati ablegabant. Hos Cæsardie duodecima Septembris ad alloquium admisit, in quo hi affirmabant, quod eorum Principes decretum in hisce comitiis editum acceptare haud recusent, cum vero abs dubio maximæ ex illo turbæ nascituræ sint, hinc ad præcavendos ejusmodi tumultus Cæsaream Majestatem suam rogarent, ne eorum oppositionem graviter ac moleste ferat; postmodum palam profitebantur, se nihil admissuros, quod tum ipsius, tum imperii dignitati atque honori adversum esset, de cetero tamen nihil ipsis magis æquum videri, quam ut per universum imperium promiscue omnibus Lutheri opiniones amplectendi libertas concederetur, donec juxta datam fidem liberum Concilium in Germania celebrari posset: Adimpleta autem hac conditione Principes eorum Dominos omnino facturos esse, quicquid Cæsar postulaverit, sive bellum foret gerendum contra Turcas, sive quodcunque aliud onus pro imperii salute sustinendum. Hi Deputati erant Joannes Ehingerus, Alexius Fraventralus, & Michael Cadenus Norimbergensis.

## §. LXXX.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1529.*Cæsaris Responsum ad Deputatorum  
postulata.*

Imperator per interpretem hisce Deputatis responderi iussit, quod eorum postulata percepisset, eaque etiam obsequia, quæ Principum suorum nomine deferrent, pergrata haberet, ac communicato cum suis consilio, quod æquum videretur, ad eorum petita responsurus foret. His dictis Deputatos ad diem decimam tertiam redire iussit, qua etiam illis scripto responsum his verbis dedit: *De rebus Spiræ gestis necnon de decreto, quod Ferdinandus frater meus edidit plenam accepi notitiam, priusquam vos huc advenissetis: Dissidium hoc inter Principes subortum, quod multis incommodis atque malis occasionem præbeat, vehementer doleo, cumque mei officii sit, hæc omnia præcavere, ne accidant, aut saltem, cum acciderint, emendare, ideo diu multumque de tota rei serie cum meis Consiliariis deliberavi, atque ita intellexi, decretum illud eo fine factum esse, ne quid deinceps innovetur, nec ulli seditionis sit in posterum locus, cujusmodi jam inventæ sunt complures & admodum tetrae: Deinde ut pax & concordia per Imperium statuatur; ideoque Saxonice Princeps alique ejus socii merito debuissent his omnibus*

*Sleid. l. c.*



Sæc. XVI.  
A.C. 1529.

acquiescere; nam & mihi & reliquis Principibus, animæ salus & conscientiæ tranquillitas non minus curæ est, quam illis, nec etiam minus optamus Concilium, quam illi; quamvis illud non admodum necessarium esse videatur, si modo, quæ communi voluntate atque consensu decreta sunt, valerent, si quoque illud omnium Ordinum approbatione factum WORMATIÆ decretum, & huic a me conjunctum edictum servaretur, sicut & ipsi fatentur, ejusmodi decreta firma esse debere & fixa: cum igitur moribus receptum sit, ut quod major pars Ordinum Imperii sancivit, paucis quibusdam rescindere non liceat, ideo datis literis ad Saxonem atque Socios mandavimus, ut decretum hoc ratum habeant, nec contra faciant, sed obtemperent. Speramus itaque eos facturos, quod jussimus; id quippe nobis longe gratissimum erit, præsertim hoc in tempore, quo certo nunciatur, Christiani nominis hostem Turcam jamjam cum omnibus copiis petere Germaniam: hac super re egimus cum summo Pontifice, ac compositis quoque rebus per Italiam, quod felix atque faustum sit Universæ Reipublicæ, primo quoque tempore vim omnem atque vires in Turcas convertemus.

§. LXXXI.

## §. LXXXI.

Sæc. XVI.  
A.C. 1529.*Deputatorum oppositio contra Cæsaris  
responsum.*

Deputati perlecto hoc responso rursus contra illud appellationem interponere aggrediebantur, ac reapse provocationis tabulas conficiebant, easque, testibus hanc in rem adhibitis, Alexandro Schweiffio ad Cæsarem defendendas tradebant. Hic quidem id muneris subire primo renuebat, tandem vero acquiescebat. Verum audax hoc Deputatorum facinus Cæsar tantopere indignabatur, ut illis indicta carceris ac proscriptionis bonorum pœna prohiberet, ne pedem e diversorio moverent, aut literas ad Germanos perscriberent, donec aliud decerneretur. Eo tempore, quo præsens Cæsaris mandatum ceteris Deputatis significabatur, absens erat Michael Cadenus, qui & ipse ex Deputatis unus fuit: cum vero per famulum suum de tota rei serie edoceret, quantocius datis literis de omnibus, quæ nuper gesta fuere, Norimbergensem Senatam certiosem fecit, existimans, quod ipse mandato ceteris suis fociis dato non adstringeretur.

Equidem Deputati haud diu Placentiæ detinebantur, eoquod Cæsar in-

M m 5 de

*Steid. l. cit.*  
p. 204.

Sæcul. XVI. de Parmam paulo post delatus, illis die  
A.C. 1529. trigesima prima Octobris ferme illico  
 post adventum suum nunciari juberet,  
 quod eos ad suos reverti permetteret.  
 Hoc mandatum deferendi negotium de-  
 mandatum fuit Nicolao Granvellano,  
 qui Cattinaræ a secretis erat, atque a-  
 liunde rerum gerendarum dexteritate  
 eminebat. Ceterum ab hac redeundi  
 facultate excludebatur Cadenus, qui sub  
 capitis poena remanere a Cæsare ju-  
 bebatur, forte ea ex caussa, quod insu-  
 perhabito Imperatoris mandato literas  
 in Germaniam misisset, quamvis alia  
 adhuc hujus interdicti ratio assignetur,  
 quæ tamen priori minus vero similis  
 esse videtur. Huic nihilominus Hassiæ  
 Landgravius negotium dederat, ut Cæ-  
 sari libellum eleganter compactum, qui  
 doctrinæ summam paucis complecteba-  
 tur, porrigeret. Cadenus jussa fide-  
 liter exequitur, ac Cæsari, cum ad rem  
 Divinam pergeret, libellum vel per se  
 ipsum, vel saltem per alium tradidit,  
 quem Cæsar quantocius cuidam Epis-  
 copo Hispano tum præsentem examinan-  
 dum dedit. Hic vero post maturam il-  
 lius discussionem Carolo significabat,  
 quod hujus libelli Auctor adversus Chri-  
 stianorum Magistratum jurisdictionem  
 acriter declamaret, palamque assereret,  
 quod jus gladii nullatenus Principibus  
 Christia-

Christianis competeret, sed nonnisi Sæcul. XVI.  
 gentibus a Christiana fide alienis illo A. C. 1529.  
 uti permitteretur. Forte hac de caussa  
 detinebatur Cadenus; nam rationibus  
 haud spernendis inniti videtur, quod  
 Cæsar cum illo de libelli hujus Auctore  
 conferre, simulque ab eo caussas edoce-  
 ri voluerit, ob quas Landgravius præ-  
 fatum libellum eidem porrigere ausus  
 fuisset. Ut ut res se habeat, id omnino  
 exploratum habemus, quod Cadenus  
 Caroli mandato parere, periculosum fo-  
 re ratus, equo clam conscenso celeriter  
 Ferrariam, inde Venetias secesserit, do-  
 mumque reversus fuerit.

## §. LXXXII.

*Diffidia inter Lutheri, & Zwinglii  
Sectatores.*

Vix Norimbergensis Senatus literas a  
 Cadeno scriptas acceperat, cum il- Cochl. in act.  
 lico ad Saxoniae Electorem, Hassiæ & script.  
 Landgravium, ceterosque Fœderatos Luth. hoc an.  
 nuncium mitteret, qui eis significaret, p. 199.  
 quod Cæsar Spirense Decretum obser- Sleid. l. c.  
 vari omnino decrevisset. Ea res ansam p. 201.  
 præbuit percelebri Smalcaldico fœderi, Vide supra  
 pro cuius firmitate præfati Principes lib. 3. n. 87.  
 conventui suo circa finem Novembris & 95.  
 initium dedere. Priusquam vero se  
 convenirent, Hassiæ Landgravius rursus  
 diffidia

Sæc. XVI.  
A.C. 1529.

diffidia super articulo de Cœna Domini, & præsentia reali tollere, atque Lutheri & Zwinglii discipulos inter se conciliare tentabat. Perspectum enim est omnibus, quod Lutherus & Zwinglius usque ad annum Domini millesimum quingentesimum vigesimum quintum in omnibus aliis doctrinæ capitibus idem fenserint, tum vero solum in explicando sanctissimo Eucharistiæ Sacramento sententiis ab invicem discreparint (\*); quamvis enim ambo unanimi con-

---

(\*) Hæc Continuator ex libro Petri Suavis Polani ad verbum descripsit, prorsus autem falsa esse discere potuisset ex Pallavicino, qui eundem Auctorem in Historia Tridentini Concilii lib. 3. cap. 1. num. 3. his verbis confutat: *Verum omnino est, Zwinglium dissensisse a Luthero etiam ante annum 1525, & in altera præcipua assertione, hoc est, Originalis peccati: cum ille affirmaret quidem, ex Adami noxa posteros tanquam hæreditariam habituros fuisse vitiosam propensionem ad solum proprium bonum, quæ ad peccandum traheret, nisi eos reparasset meritum Redemptoris, sed non idcirco contrahendam ab ipsis fuisse veram culpam, verumque peccatum, sed solum quoddam metaphoricum; quatenus ea est hæreditaria pro-*  
pensio

consensu affirmarent, quod Corpus & Sæcul. XVI.  
Sanguis Christi Domini in Sacramento A. C. 1529.  
duntaxat in usu, hoc est, quando Eucharistiam sumens credit, atque reapse illam recipit, non autem ante vel post Sacramenti sumptionem præsens adsit, nihilominus docebat Lutherus, quod hæc verba: *Hoc est Corpus meum* ad litteram sint intelligenda: ex adverso autem affirmabat Zwinglius, illa non nisi in *sensu figurato, spirituali ac sacramentali* esse accipienda. Hæc contentio utrinque in dies magis magisque effervescebat, ac præcipue Lutherus quacunquæ data occasione cum summa verborum vehementia, ac rabie opinionem suam tuebatur.

## §. LXXXIII.

*pensio ad peccandum, cum qua nasci debuissent ob contagionem parentum, potuisse peccatum nominari ea ratione, qua mors dicitur pallida, quia pallorem efficit. Vide Continuatores sequenti §. LXXXIV. Hanc in rem Surius quoque in comment. hoc anno ita scribit: Sunt, qui putent, & scribant, in hoc uno articulo de Cena Domini dissidere Zwinglianos a Lutheranis, sed hoc falsissimum est, cum etiam in aliis non paucis inter se hostiliter dissentiant.*

Sæcul. XVI.  
A. C. 1529.

§. LXXXIII.

*Epistola Melanchtonis ad Oecolampadium.*

*Inter epist.  
Melancht.  
lib. 4.*

Hanc ob rem Oecolampadius comitiis Spiræ habitis ad Melanchtonem perscripsit epistolam, in qua vehementer querebatur, quod Faber Viennensis Episcopus totis viribus niteretur, ut Zwinglii secta damnaretur, quapropter Melanchtonem, ut hanc causam defendendam susciperet, efflictim rogabat. Verum Melanchton eidem hæc respondit: „ Veterum opiniones circa Cœ-  
„ nam Domini sedulo examinavi, nec  
„ non quæcunque ultro citroque afferri  
„ possent, discussi, nec tamen sensum fi-  
„ guratum approbare valeo, minus ve-  
„ ro sufficientem reperi rationem, pro-  
„ pter quam a propria verborum signi-  
„ ficatione recedam. Si vero humanæ  
„ prudentiæ rationibus me trahi pate-  
„ rer, aliam adoptarem sententiam;  
„ haud enim me latet, quod plurimi, li-  
„ que docti Viri, quorum amicitia mi-  
„ hi semper proficua foret, Sacramen-  
„ tariis adhæreant, ast eorum opinio-  
„ ni assentire nequeo, equidem hi sibi  
„ imaginantur, quod Christi Domini  
„ absentis Corpus in Eucharistia veluti  
„ in tragœdia exhibeatur, mihi ex  
„ ad-

„ aduerso persuasum est, Salvatorem no- Sæcul. XVI.  
 „ strum nobis promississe, quod nobis- A.C. 1529.  
 „ cum velit esse usque ad consumma-  
 „ tionem sæculi, nec etiam necessarium  
 „ sit, quod ibi Divinitas ab humanitate  
 „ separetur, proin certus sum, quod hoc  
 „ Sacramentum veræ præsentiaæ pi-  
 „ gnus sit, nosque in Coena de Corpo-  
 „ re Christi Domini præsentis partici-  
 „ pemus, imo quod propria termino-  
 „ rum significatio, cum nulli articulo  
 „ sit aduersa, sine omni ratione rejicia-  
 „ tur, cum tamen optime concordet  
 „ cum ceteris textibus, in quibus de  
 „ Christi Domini præsentia sermo oc-  
 „ currit.,,

Postea in eadem responsione Me-  
 lanchton hæc subjunxit: „ Indigna est  
 „ Christiano Viro sententia, quæ Chri-  
 „ stum Dominum cuidam cœli parti  
 „ tanquam carceri inclusum, affixum-  
 „ que credit, de cetero Oecolampadius  
 „ nobis nil nisi insulsa, ac veterum quo-  
 „ rundam opiniones opponit; hæve-  
 „ ro nugæ, etsi veritatis speciem præ-  
 „ seferant, nullatenus deterreant illos,  
 „ qui norunt, quod de Mysteriis ex Dei  
 „ Verbo, non autem ex principiis Geo-  
 „ metricis iudicium sit petendum.  
 „ Haud equidem diffiteor, quod in ve-  
 „ terum explicationibus quædam sibi  
 „ repugnantia reperire sit; ast potissimi  
 tex-



Sæcul. XVI. „ textus ex celebrioribus Scriptoribus  
A.C 1529. „ deprompti ostendunt, quod sententia  
 „ de præsentia reali semper in Ecclesia  
 „ communis fuerit. Quapropter rogo  
 „ te, Oecolampadi, ut quæstionis, de  
 „ qua agitur, gravitatem maturius per-  
 „ pendas, simulque periculum, cui te  
 „ exponis, dum ea cum tanto impetu  
 „ propugnas, quæ sine ulla ratione cre-  
 „ dis. His demum addidit, fatius fo-  
 „ ret, si quidam probi Viri hac su-  
 „ per re colloquium haberent. „ Huic  
 epistolæ respondit Oecolampadius, hu-  
 jusque colloquii necessitatem ipse com-  
 probavit, imo, se ejusmodi disputatio-  
 nes ardentem exoptare asseruit, verum  
 necesse foret, ajebat, ut pugiles nequa-  
 quam superbia inflati, aut disputandi  
 æstu accensi essent, ne hisce animi mo-  
 tibus ancillantes, ad dignoscendam ve-  
 ritatem inepti reddantur, & ambæ liti-  
 gantium partes adhuc magis a veritatis  
 semita devient.

## §. LXXXIV.

*Colloquium Marpurgense inter Lutheri  
 & Zwinglii affectas.*

*Cochl. l.cit.* **E**a res Hassiæ Landgravium impulit,  
*p. 196.* ut factionem utramque permoveret,  
*Sleid. l. 6.* quatenus proximo Mense Octobri con-  
*p. 201.* venirent. Seligebatur hanc in rem  
 Mar-

Marpurgensis civitas in Hassiæ Provin-  
 cia ad Lanam sita. Illuc ergo e Saxo-  
 nia venerant Lutherus, Melanchton, &  
 Jonas. Ab Helvetiis vero ex Pago Ti-  
 gurino mittebatur Zwinglius unacum  
 Oecolampadio; primi tamen omnium  
 aderant Argentorato Martinus Buce-  
 rus & Hedio, Norimberga Andreas O-  
 siander, Hala Brentius, ac denique Au-  
 gusta Stephanus Agricola. Confluxe-  
 rant præterea plures alii viri graves  
 juxta ac eruditi: Priusquam vero pu-  
 blica fieret disputatio, Lutherus, Oeco-  
 lampadius, Melanchton & Zwinglius  
 die trigesima Septembris separatim in-  
 ter se habebant colloquium, postera au-  
 tem die iidem publice congregiebantur.  
 Verum hujus disputationis acta nec ma-  
 gis certa nec magis diversa sunt ab al-  
 liis disceptationibus, quas antea Luthe-  
 ri ac Zwinglii Sectatores inter se ha-  
 bebant; quinimo nequidem certo con-  
 stat, quinam ex utraque factione in are-  
 nam descenderint; Sleidanus enim af-  
 firmat, quod solus Lutherus atque Zwin-  
 glius causam disceptarint: ex adverso  
 Cochlæus & Eckius, qui quamvis æ-  
 que ac Sleidanus huic colloquio haud  
 intererant, loco tamen proximiores e-  
 rant, testantur, quod Oecolampadius  
 contra præsentiam realem Corporis &  
 Sanguinis Christi in Eucharistia plura

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1529.  
 Hospinian.  
 ad ann. 1529  
 in coll. Mar-  
 purg. Me-  
 lancht. l. 41.  
 epist. 88. &  
 epist. ad E-  
 lect. Sax. &  
 ad Henric.  
 Duc. Sax.  
 Ibid. & apud  
 Luth. conc.  
 4. Jen.  
 Pallavic.  
 hist. Conc.  
 Trid. l. 3. c. 1.  
 Bossuet hist.  
 des varia-  
 tions tom. 1.  
 l. 2. art. 55.  
 p. 110.

Hist. Eccles. Tom. XXXV. N n ibi

**Sæcul. XVI.** **A.C. 1529.** ibidem proposuerit argumenta; ceterum si in re adeo ambigua conjecturæ locus esse potest, vero longe similis est, quod Zwinglii fautores potius Oecolampadio quam Bucero doctrinæ suæ defensionem committere voluerint, eo quod prior inter eos doctrinæ præstantia ex omnium iudicio longe eminentissimus esset, alter vero in lectione Sanctorum Patrum minus quam Oecolampadius fuisset versatus, atque aliunde eorum testimonia depravare, & in favorem doctrinæ, quam recens amplexus fuerat, detorquere nondum didicisset.

Insuper veritatis speciem præferre videtur, quod Lutherus, antequam circa Eucharistiam de præcipuo dogmate inter utramque factionem controverfo ageretur, alios quosdam proposuerit articulos, quos in Zwinglii Sæctoribus, eorumque doctrina carpebat. Docebant enim illi I. quod nullum detur peccatum originale, sed illud non sit aliud, nisi debilitas, & morbus originalis, nec ab eo peccato infantes per Baptismum liberentur. II. Nec conferatur Spiritus Sanctus per Verbum Dei, & Sacramenta, bene tamen absque hoc Verbo, & sine Sacramentis. III. Præterea nonnulli ex ipsis in suspicionem trahebantur, quod perperam sentiant de SS. Trinitate, & de Divinitate

tate Christi Domini. IV. Quod parum virtutis tribuant fidei in justificationis negotio, nimium autem piis actionibus confidant. V. Denique Lutherus illos accusabat, quod Corpus & Sanguinem Christi Domini vere in cœna præsentem esse negent. Nihilominus perversæ de SS. Trinitate, & Divinitate Christi doctrinæ suspicionem omnino a se amoliebatur Zwinglius: de originali autem peccato, & Sacramentorum effectu prolixum admodum sermonem habuit, atque circa hosce articulos Melancthonis sententiam secutus est, suamque opinionem, quam antea tenuerat, aut explanavit, aut omnino revocavit. Solus erat articulus de Cœna Domini, in quo cum Luthero nullatenus convenire poterat; non enim eo tempore, prout postea factum, mere æquivocis explanationibus utrinque certabatur, sed Lutheri a seclæ aperte realem Corporis & Sanguinis præsentiam tuebantur, Zwinglii vero Sectatores illam sine ambagibus negabant, nec utrique factioni alia erat vox, quam quod præsentia in figura, & præsentia per fidem nullatenus vera, sed nonnisi moralis, improprie dicta, atque Metaphorica sit præsentia; nunquam tamen ambæ partes conciliari poterant, sive quod hujus dissidii auctores controversiam tanto æstu agitavam

Sæcul. XVI.

A.C. 1529.

Sæc. XVI.  
A.C. 1529.

Melancht.  
loc. cit.

dimittere erubescerent, sive quod Lutherus ingentem capiti suo tempestatem imminere cerneret, ut ipsemet in quadam epistola paulopost ad amicum scripta fatetur, proin Principes plebi magis infensos reddere, eosque majoribus adhuc periculis exponere timeret, si Zwinglio adhærentium interpretationem tantopere Catholicis exosam amplecteretur. Forte etiam continuati dissidii hæc extitit causa, quod neutra pars, in quo quæstionis cardo verteretur, probe intelligeret, prout ipsemet Melanchton testatur in duabus Epistolis, quas de disputationis successu rationem redditurus, ad Principes perscripsit, inquit

*Plane compertum habemus, quod adversarii nostri non intellexerint doctrinam Lutheri, licet ejus linguam imitari conarentur.*

Cum igitur Hassiæ Landgravius probe cognosceret, quod in componendis duabus hisce sententiis oleum & operam perdidisset, hinc utrique litigantium parti injunxit, ut hac super re eo præsentente conferrent, simulque huic colloquio interesse voluit quosdam ex suis Consiliariis, præter nonnullos Theologos Marpurgenses, aliosque Viros doctrina conspicuos. Solidos tres dies tenuit

tenuit hæc disputatio, in qua Lutherus Sæcul. XVI. A.C. 1529  
 immote insistebat Verbis in institutione SS. Eucharistiæ a Christo Domino pro-  
 latis; his enim manducationem corpo-  
 ralem invicto prorsus argumento com-  
 probari contendebat. Luthero tum  
 Oecolampadius respondit, asseruitque  
 hæc verba non nisi de præsentia spiri-  
 tuali atque metaphorica esse intelligen-  
 da; ex adverso admisit equidem Luthe-  
 rus præsentiam spiritualem, per eam ta-  
 men minime excludi corporalem affir-  
 mabat: hinc utrinque plurima argumen-  
 ta, ac SS. Patrum testimonia allegaban-  
 tur, quorum tamen veritate neutra pars  
 convictam sese profitebatur; quippe  
 Lutherus pro more suo cum summa ar-  
 rogantia differebat; Zwinglius vero in-  
 signem adeo prodebat ignorantiam, ut Bossuet. l. c. p. 112.  
 sæpe interrogaret, *qua ratione fieri* Hospin. l. cit. Luther. epist. ad Jacob. Præposit. Brem.  
*possit, ut malus Sacerdos rem sacram con-*  
*ficere valeat?* Eum Lutherus egregie  
 confutabat, atque exemplo Baptismi ab  
 indigno collati ostendit, quod ejus ad-  
 versarius, quæ dicit, nequidem intelli-  
 gat: Tandem vero, cum Zwinglius at-  
 que Oecolampadius Lutherum ad dese-  
 rendam opinionem suam inducere de-  
 sperarent, nec tamen ipsi a sua sententia  
 discedere vellent, hinc illum rogabant,  
 ut saltem illos pro fratribus agnosceret.  
 Ast a Luthero arroganter repulsi sunt.

Sæc. XVI.  
A.C. 1529.

*quam fraternitatem petitis, aiebat ad eos, persistentes in opinione vestra? profecto de ea dubitare videmini, volentes esse eorum fratres, qui sententiam vestram rejiciunt.* Ita utraque pars discessit; paulopost tamen instruebantur articuli, in quos utriusque partis consensus conspirabat. Hi concernebant dogmata de SS. Trinitate, de peccato Originali, de justificatione per fidem, de efficacia baptismatis, de utilitate confessionis, de auctoritate Magistratum, de necessitate Baptismi parvulorum, ac denique de manducatione spirituali Christi Domini in Cœna.

## §. LXXXV.

*Marpurgense colloquium re infecta solutum.*

*Luther. l. cit*

**H**is necdum contentus Hassiæ Landgravius insuper dissidentes rogabat, imo etiam, si necesse foret, præcepti severitate urgendos aiebat, ut imposteriorum, postquam in ceteris doctrinæ capitibus convenissent, ab omni contentione circa articulum de Eucharistia abstinerent, „Rogabo Dominum Deum, „ subjunxit Landgravius, ut vobis lumen ad cognoscendam veritatem necessarium concedat, simul vero tantam impertiatur charitatem, ut una „ omnes

„ omnes simul in pace vivatis. „ Ast Sæcul. XVI.  
 Lutherus hanc charitatem interpreta- A.C. 1529.  
 batur de ea, quæ inimicis debetur, non  
 autem de illa speciali, quæ inter Chri- *Raynald.*  
 stianos ejusdem fidei vinculo unitos re- *hoc ann. n. 7.*  
 quiritur. Nihilominus tamen utrinque  
 conventum, ne litigantes scriptis ultro  
 citroque sese impeterent. Verum haud  
 diu hæc concordia substitit; quippe no-  
 væ doctrinæ Sectatores vix e colloquio  
 discesserant, cum illico, ut fieri assolet,  
 se contra Lutherum victoriam reportas-  
 se jactarent, vicissim vero Lutheri as-  
 sectæ *Sacramentarios* fuisse devictos scri-  
 ptis ac verbis divulgabant; unde ani-  
 morum contentio indies usque adeo ac-  
 cendebatur, ut Lutherus Fratrum so-  
 cietatem a Zwinglio oblatam non mo-  
 do velut artificiosam fraudem traduce-  
 ret, sed etiam palam assereret, Dæmo-  
 nem tantopere eis dominari, ut ultra  
 nil aliud quam mendacia proferre va-  
 leant.

§. LXXXVI.

*Nova Landgravii molimina pro  
 componendis litigantium  
 diffidiis.*

Attamen Landgravius sinistro primi  
 sui conatus successu adeo non ani-  
 mum despondebat, ut etiam magis pro-

N n 4 speri



Sæc. XVI.

A.C 1529.

speri eventus spe erectus Sectatoribus ob oculos poneret, utrinque e re potissimum fore, ut saltem animis, quamvis doctrina ab invicem dissentirent, sincere conjungerentur, cum absque mutua concordia haud diu partes suas tueri possent. Hanc in rem illos Solisbacum convocabat, ut eis mentem suam aperiret, ac consilia suggereret. Ast cum nulla animorum averfio difficilius sanetur, quam quæ in materia Religionis ex opinionibus menti impressis sive veris, sive falsis ortum ducit, hinc Landgravius quoque experiri cogebatur, quod Lutheri discipuli maluerint a Catholicis opprimi, quam Zwinglii Sectatores ad sectæ suæ societatem admittere, vicissim vero hi, cum ex armorum fœdere cum Helveticis Tribubus nuperinito potentia ac numero prævalerent, haud amplius ab illis articulis, quos Marpurgi deseruerant, desciscere, multo minus vero realem Christi Domini præsentiam in Cœna profiteri volebant; unde mutua utrinque animorum averfio usque adeo excreverat, ut potius ad unionem fidei Catholicæ reverti vellent, quam a suis articulis vel minimum remittere. Hinc factum, ut Sacramentarii, quamvis in Marpurgensi colloquio spondidissent, quod præter sententiam de reali Corporis & Sanguinis Christi præ-

præsentia etiam ceteros articulos, in quibus a Lutheri alumnis discrepabant, ejuraturi essent, nunc tamen in nullo prorsus articulo illis cedere decernerent; quapropter Lutherani etiam per-  
 vicavi prorsus consilio a Sacramentariis postulabant, ut circa Sacramentorum administrationem, Missæ Sacrificium aliosque Ecclesiæ ritus in cunctis suis Ecclesiis ritum a Luthero stabilitum observarent. Itaque ob mutuam utriusque factionis odium secunda hæc Landgravii consilia prioribus haud magis prosperum fortita sunt eventum.

Sæc. XVI.  
 A. C. 1529.

§. LXXXVII.

*Principes Protestantes, urbiumque Deputati Smalcaldiæ congregati.*

Ceterum idem Hassiæ Princeps, cum omnes conatus suos in irritam cecidisse cerneret, sua studia ceteris addidit Foederatis, qui sub finem Mensis Novembris Smalcaldiæ convenire jubebantur, ut pari armorum robore sese Cæsaris potentiæ opponerent, veriti, ne ab eo opprimerentur. Hanc in rem Landgravius cunctis Imperii urbibus, quæ Lutheri erroribus erant infectæ, hæc exponebat: Non eo numero apud vos sit Carolus V, quo olim a Caroli

Steid in com.  
 l. 7. p. 205.

N n 5 Magni

Sæcul. XVI. A.C. 1529. Magni tempore Imperatores ejusdem Prædecessores habebantur; ille enim præter Hispaniæ Regna imperium velut undique cinctum tenet septendecim Belgii Provinciis, hæreditariis Austriacæ Domus Regionibus, Hungariæ ac Bohemiæ Regnis, necnon Silesiæ, Moraviæ, & Lusatix Ducatibus. Insuper cum Galliarum Rege nuperrime foedus, pacemque sancivit: Si igitur inter vos mutuas identidem inimicitias agitatis, Germani non nisi infirma manu Cæsaris potentix resistere poterunt, econtra vero, si animo & ope concordēs eritis; facili prorsus negotio formidandæ Caroli vires frangi valebunt. Illuxerat præstituta dies ad celebrandum conventum, ad quem etiam accesserat Saxonix Elector unacum Joanne Friderico Filio suo. Hos brevi sequebantur ambo Fratres Ernestus ac Franciscus Luneburgi Principes necnon Philippus Hassiæ Landgravius, atque Anhaltinus Princeps præter Georgii Brandeburgici Consiliarios, pluresque alios. Sub idem quoque tempus legati ab istis missi ex Italia redibant, simulque suis quisque Dominis referebant, qua ratione Placentiæ a Carolo Cæsare fuissent excepti. Re comperta visum erat potissimis, præprimis de concipienda fidei formula agendum esse. Verum obstiterant

terant Argentinenses, atque Ulmenses; Sæcul. XVI.  
A.C. 1529.  
reponerent enim illi, hunc conventum nullatenus eo fine fuisse indictum, ut doctrinæ capita discuterentur, sed unice, ut ibidem adversus Cæsareæ Majestatis molimina foedus percuteretur: cum vero ceteræ civitates reponerent, nullum ipsis esse hujus rei mandatum, Landgravius tum foedus maturare præpediebatur.

## §. LXXXVIII.

*Decretum a Papa Bononiam discessuro editum.*

Interea Pontifex Roma Bononiam proficisci parabat, ita enim inter ipsum & Carolum Cæsarem constitutum erat: priusquam vero iter aggrederetur, die sexta Octobris Constitutionem edidit hujus tenoris: *Cum Carolus Imperator Turcarum Tyrannum cum potentissimo exercitu ad Regnum Hungariæ invadendum venire intellexisset, ac desideret ipsi Christianæ Reipublicæ opem ferre, hinc nos piæ & honestæ ejus desiderium plurimum commendantes ad officium nostrum pertinere cognoscimus, ut ad ipsam civitatem Bononiensem omni celeritate nos conferamus; in alma tamen urbe nostra caussarum, & litterarum Apostolicarum audientiam relinquimus, ut si ante reditum nostrum nos ab hac luce*

*Extat in  
Bullar. t. 1.  
Clem. VII.  
Constit. 26.  
Raynald. ad  
hunc annum  
num. 75. 77.*

Sæcul. XVI. *luce migrare contingeret, in ipsa urbe Ro-*  
 A.C. 1529 *mana, & non in civitate Bononiensi, seu*  
*in alio loco, in quo tempore obitus nostri re-*  
*sideremus, electio Romani Pontificis fieri de-*  
*beat; nisi ipsa urbs tunc interdicta, vel con-*  
*tra Ecclesiam Romanam in manifesta rebel-*  
*lione persisteret, seu de hostili invasione du-*  
*bitaretur. Tum vero in Civitate Castella-*  
*na, seu Urbevetana, seu Perusina electio*  
*Romani Pontificis fieri poterit, decernimus*  
*autem, electionem alibi factam nullam, &*  
*irritam fore.*

Altera die post promulgatum hocce decretum præeunte SS. Eucharistia, quam Pontifices in itinere secum deferre solent, Clemens Papa Roma discessit, comitantibus eum sexdecim Cardinalibus, nonnullis Episcopis, totaque ejus Curia. Bononiam delatus, ad Ecclesiam S. Petri deducebatur, ubi eum Præpositus unacum suo Clero honoribus Pontificiæ dignitati debitis excepit. Postmodum Papa die vigesima nona ejusdem Mensis Senatam habuit, in quo unacum suis Cardinalibus de norma ac modo celebrandi coronationem egit.

§. LXXXIX.

## §. LXXXIX.

*Carolus V. Bononiæ.*Sæcul. XVI.  
A.C. 1529.

Imperator etiam magnis itineribus Bononiam contendebat, cumque ad castrum Francorum, quod decimo quinto ab urbe lapide distitum est, perveniret, omnes ferme Cardinales eidem extra Portam S. Felicis obviam ibant, ejusque adventum prope monasterium Carthusianorum nonnisi media leuca ab eadem civitate distans præstolabantur: ut primum vero Cardinales adventantem e longinquo conspexerant, una omnes proximius accedebant, atque inter eos Farnesius Cardinalis Decanus nomine summi Pontificis totiusque sacri Collegii prosperum Cæsari adventum solemniori oratione gratulabatur: Huic Carolus V. paucis verbis respondit, ac medius inter Cardinalem Decanum, & Anconitanum usque ad Carthusianorum asceterium processit, in quo instructum erat cubile, ut pro ingressu necessaria disponerentur. Priusquam vero eo perveniret, tres Cardinales ab illo discesserunt, Pontificem de ejus adventu certiores reddituri.

*Guicc. l. 19.  
Paul. Jov.  
hist. lib. 27.  
Rayn. l. cit.  
n. 81. 83.*

§. XC.

Sæcul. XVI.  
A.C 1529.

§. XC.

*Cæsar Bononiæ honorifice exceptus.*

Igitur Cæsar postera die, quæ erat quinta Novembris, Bononiam ingrediebatur. Accepto adventus nuncio quantocius cuncti Senatores equis vecti, ac vestibus ad pompam splendidis induti ex urbe egrediebantur, demum vero bini ac bini ipsum Cæsarem præibant, ut eum ad urbem deducerent, viamque pararent. Præterea tota Universitas, omnesque quotquot in civitate quibusdam dignitatibus conspicui erant, plusquam ducentis Leucis extra urbis portas obviam ibant. Hos inter præcipui sericum auro distinctum umbraculum purpurei coloris deferabant, sub quo Imperator armatus incedebat, atque in ipso militaris Spiritus se prodebat, qui cunctis magni hujus Principis venerationem, & reverentiam inspirabat. Porro proxime Cæsarem sequebatur Antonius Leva Bellidux militari scientia longe clarissimus, qui equo vectus, senioque gravis præ gaudio in lacrimas effundebatur, in hoc potissimum lætus, quod adhucdum vita superstes tam speciali honore in hac solemni pompa decoraretur, postquam jam quinquagesimum militiæ annum exple-

*Paul. Jov.  
ibid.  
Gnicc. ut  
supra.*

expleverat, totidemque ferme vulnera Sæcul. XVI.  
 acceperat. A.C. 1529.

Huic proximi incedebant Andreas ab Auria supremus Cæsareæ classis Præfectus, & secundus Imperii Vexilifer, qui auream aquilam, Romanorum insigne, præfererebat. Post hos ibant Ministri, ac aulæ Cæsareæ Officiales. Hoc ordine instructi omnes sonantibus tubis, ac tympanis procedebant usque ad arcam Ecclesiæ Cathedralis, ubi altum amplumque erectum erat tabulatum pretiosis tapetibus ornatum, in quo Clemens Papa Pontificio ornatu insignis, ac tiara redimitus sedebat, Cæsarem præstolaturus.

§. XCI.

*Carolus Imperator a Papa exceptus.*

Cum igitur Carolus Cæsar plusquam vigesimo adhuc passu a pegmate distaret, equo descendit, ejus latera stipantibus sexaginta & amplius Legatis, ac quamplurimis, iisque Nobilissimis aulæ suæ Proceribus. Postea medius inter duos Cardinales Farnesium, & Anconitanum propius ad Papam accedebat, atque conscensis folii gradibus ejusdem pedes genuflexus osculari parabat; ast summus Pontifex, retracto pede confestim exurgens, Cæsarem erexit,



Sæcul. XVI.

A.C. 1529

xit, eumque utriusque genæ osculo honoravit, postea stans officiosæ salutationis sermonem a Cæsare idiomate Hispano prolatum excepit, eidemque Italice respondit, significans, se ob ejus adventum haud minori lætitia quam spe affici, qua brevi Ecclesiæ totique Europæ optatam pacem restitutum iri confideret.

Hisce obsequiis utrinque præstitis Carolus summo Pontifici dono dedit capsulam argenteam aureis refertam nummis, quorum quivis duodecim libras ponderabat. Vicissim vero Papa Imperatori donabat imperialem aquilam duabus auri libris gravem, gemmisque pretiosissimis distinctam. Postea vero ambo per eodem gradus ex pegmate descendebant, ita tamen, ut Pontifex caput sua tiara ornatum haberet, Cæsar autem pileo suo tectus sinistrum Papæ latus stiparet. Comitabatur Clemens Carolum usque ad Ecclesiæ portam, ubi eodem valere jussu unacum suis Cardinalibus, atque Prælati sese ad cubile suum recepit. Post Papæ discessum Archiepiscopus ejusque Clerus prope januam Cæsarem excipiebant, eidemque aquam lustralem porrigentes, illum Sacerdotali ornatu insignes usque ad summum Altare comitabantur, ubi Cæsar genuflexus preces suas persolvit, demum vero ab ipso Episcopo ac Clero usque

usque ad cubile, quod pro eo præpara- Sæcul. XVI.  
 tum penes Pontificem erat, deduceba- A.C. 1529.  
 tur, comitantibus illum Papæ Ministris,  
 urbis Magistratibus, ac præcipuis Au-  
 læ Proceribus.

## §. XCII.

*Secreta Cæsaris colloquia cum sum-  
 mo Pontifice.*

**T**oto, quo Papa Bononiæ hærebat,  
 tempore Cæsar septem omnino vi-  
 cibus Clementem in suo Palatio officio-  
 se salutabat, frequenterque ac diu  
 privatim cum eo de præsentis rerum sta-  
 tu conferebat. Vicissim Pontifex Ca-  
 rolum tribus vicibus cum comitatu ad  
 pompam instructo invisit, atque in his-  
 ce colloquiis nonnisi ejusmodi propone-  
 bat negotia, quæ ipsi maximi momenti  
 res esse videbantur. Præprimis Cæsa-  
 rem efflictim rogabat, ut causam Fran-  
 cisci Sfortiæ tuendam in se susciperet:  
 Hic enim tertius hujus nominis Dux a  
 Mediolanensi Ducatu, in quo Maximi-  
 liano fratri suo successerat, expulsus  
 fuit; cum igitur Cæsar Papæ precibus  
 annuere videretur, confestim Sfortia rem  
 edoctus Bononiam contendit, seque ex  
 ipsiusmet summi Pontificis suafu ad pe-  
 des Imperatoris supplex provolvit.

## §. XCIII.

*Hist. Eccles. Tom. XXXV.*

○●

## §. XCHII.

Sæcul. XVI.

A.C. 1529

*Franciscus Sfortia a Cæsare Mediolanensi Ducatui suo restitutus.*

Guic. l. 19.

Paul. Jov.

lib. 26.

Ant. Vera

l. cit. p. 177.

Sleidan. l. 6

p. 202.

Imperator Sfortiam per aliqua temporis momenta genuflexum excepit, postea vero surgere iussum præsentibus Venetorum Legatis benignis hisce verbis allocutus est: „ Equidem tua in me „ infidelitas permolesta mihi accidit, „ nec ultionis media mihi deessent, si „ eo devenire vellem; Mediolanensem „ enim Ducatum jure retinere possem, „ eo solo nomine, quod beneficiariam „ illius possessionem edito diplomate a „ Maximiliano Avo meo receperim; „ præterea si belli juribus insistere voluisssem, certo nomine Ducatum mihi vindicare potuisssem. Nihilominus te in pristinum dominium reponere statui non modo, ut Sanctitatis suæ precibus, & Reipublicæ votis cedam, a quibus universalem pacem reducere rogatus sum, sed etiam ut innatæ indoli meæ obsequar, qua libentius propria amittere, quam aliena eripuisse, saltem suspicandi ansam dare volo. „ Tanto itaque magnanimitatis ac justitiæ studio incitatus Imperator Sfortiæ Mediolanensem Ducatum restituit, simulque Cæsareum inaugurationis diploma concessit, ea lege,

ge, ut in pecunia numerata centies mille aureos Imperatori penderet, & præter quingenta millia intra decem annos per totidem solutiones numeranda insuper Christinam Neptin suam, ac Regis Daniæ filiam uxorem duceret.

§. XCIV.

*De Ferrariæ Ducis negotio.*

Sub idem tempus Ferrariæ Dux Cæsarem rogabat, ut controversiæ, quam hic Dux cum Papa habebat, arbiter ac iudex esse velit. Placuit Cæsari Ducis consilium, ipse etiam Clemens Papa causæ suæ haud melius consultum iri arbitrabatur, quam si Cæsaris decisioni sese submitteret, eo potissimum nomine, quia Carolus ex Barcinonensis fœderis legibus sese obstrinxerat, quod operam suam impendere velit, ut Mutinam ac Reggium recuperaret, necnon Ferrariensis Ducatus possessionem acciperet.

Ceterum magis pertinaces erant Florentini; hi enim cunctas concordiæ leges cum Papa ineundas respuebant, nisi saltem eisdem libertatis suæ, quam ad ultimam usque sanguinis guttam tueri statuebant, conservatio promitteretur. Hanc in rem offerebant ingentem auri vim: cum autem conditiones, quas Papa proponebat, eis minus arriderent, re infecta discedebant.

Q o 2

§. XCV.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1579.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1529.

§. XCV.

*Cæsar Papam ad Synodi celebrationem inclinare intentus.*

*Pallav. hist.  
Conc. Trid.  
l. 3. c. 7.*

Quamvis cuncta hæc profana negotia Cæsaris animum haud parum distentum tenerent, potio-rem tamen sollicitudinis suæ partem sibi vendicabant Ecclesiæ calamitates, quæ majoris longe momenti, ac necessitatis erant: ægerrime enim ferebat Imperator, edictum suum Wormatiense passim a Protestantibus vilipendi, eosque palam Lutheri hæresin profiteri: cum vero ad Turcas ex Hungaria propellendos horum quoque auxilio indigeret, adhucdum erga illos clementia uti voluit, quapropter nil magis proficuum, atque officii sui legibus congruum existimabat, quam ut eis liberum, quod petebant, Concilium celebrari concederet, hancque ob rem toto ferme, quo Bononiæ morabatur, tempore in eo erat, ut Papam ad acceptandam hanc propositionem inclinaret. Verum conatibus suis tum optatus abludebat successus.

§. XCVI.

*Rationes a Papa ad declinandum Concilium allatæ.*

*Pallav. l. cit.  
Frappaol. hist.  
Conc. Trid.  
l. 6.*

Cum autem Clemens Papa nil magis abhorreret, quam Synodi celebrationem,

tionem, præsertim, si eam ultra mon-  
 tes, ubi Principes Papæ juribus minus  
 favebant, libere haberi contingeret, hinc  
 varia argumentorum genera proposuit,  
 ut Cæsari persuaderet, Synodum adeo  
 non ad sedandos Germaniæ tumultus  
 prodesse, ut etiam ipsam quoque Cæsa-  
 ris auctoritatem in discrimen adduce-  
 ret, eoquod, inquiebat Papa, populus  
 & Principes, ex quibus Imperium con-  
 stat, hæresi infecti sint, ac inde timen-  
 dum foret, ne populus, postquam se-  
 mel libertatem fidei capita in dubium vo-  
 candi, atque ampliorem illorum expla-  
 nationem in re adeo periculosa exigen-  
 di facultatem obtinuisset, pariter ad re-  
 staurandam regiminis normam manum  
 extendere, ac pro arbitrio suo Princi-  
 pum suorum auctoritatem diminuere  
 præsumat, cum nihil magis veritati  
 accedat, quam quod jurisdictionem quo-  
 que profanam aggredi audeat, post-  
 quam ei potestatem Ecclesiasticam diju-  
 dicandi facultas permessa fuerit; de ce-  
 tero autem longe facilius sit primis vul-  
 gi postulatis resistere, quam illud in offi-  
 cio, ac justitiæ limitibus continere,  
 postquam ad sedandos illius motus ali-  
 qua semel indulgentia adhibita fuit: ce-  
 terum inquiebat Pontifex, Principes,  
 qui Concilium celebrari postulant,  
 ad id nullatenus pietatis, sed unice pri-

Sæc XVI.

A.C. 1529.

Sæcul. XVI vati quæstus studio incitantur, illique  
A. C. 1529. eo duntaxat sine novæ huic Sectæ no-  
 men dederunt, ut Ecclesiasticorum bo-  
 na ab hæreticis oblata possidere, ac pro  
 summo Imperio dominari possent, &  
 tandem penitus a S. R. Imperii necnon  
 & Cæsareæ Majestatis suæ obedientia  
 sese subtrahere valerent. Interim a per-  
 verso hoc agendi modo illi duntaxat  
 adhuc immunes sunt, qui nondum has-  
 ce libertatis illecebras uberius gusta-  
 runt, iidem tamen, quamprimum eas  
 libarent, mox ceterorum exemplum  
 imitabuntur: exinde magnum quidem  
 damnum Sedi Apostolicæ accedit ex  
 Germanorum defectione, majus tamen  
 ipsi Cæsari, ac Domui Austriacæ inde  
 imminet; nullum igitur magis oppor-  
 tunum occurrit consilium, quam ut Cæ-  
 sareæ sua Majestas suam auctoritatem  
 quamdiu adhuc potissimæ urbes in fide  
 constantes persistunt, debita severitate  
 exerat, ac prompta adhibeat remedia,  
 priusquam adversa factio ex ipsis com-  
 modis, quæ nova hæc Secta pollicetur,  
 numero ac potentia magis crescat; fru-  
 stra autem pœnarum severitas adhibe-  
 tur, si Synodi celebrandæ consilium  
 diutius urgetur. Plurimorum enim  
 annorum seriem illius convocatio requi-  
 rit, nullaque negotia nisi post longas  
 deliberationes dirimi possunt, ac insu-  
 per

per innumera pene opponuntur obstacula a frequenti illorum numero, qui sub variis prætextibus, ac privati commodi rationibus ejusmodi Synodi celebrationem aut impediunt, aut saltem eo sine retardant, ut tandem totum negotium in irritum cadat.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1529.

Præterea inquiebat Papa, haud ignoro, quod passim spargatur, acsi summi Pontifices a Conciliorum celebratione abhorreant, eoquod potestatis suæ diminutionem in illis fieri reformident, ego tamen alterius longe sententiæ sum; Christus enim, a quo meam auctoritatem immediate accepi, est pollicitus, quod portæ inferi adversus Ecclesiam nunquam prævalere poterint, insuper, addebat Pontifex, præteriti temporis experientia docuit, quod Pontificia auctoritas non modo per nullam omnino Synodum diminuta, sed semper tanquam suprema, nullisque limitibus circumscripta fuerit agnita, quæ quod talis etiam reapse sit, ipsa Christi Domini verba comprobant.

Equidem Imperator reponere potuisset, quod hæc Christi Domini verba non de Pontifice, nec separatim de Romana Curia, sed de tota Ecclesia in-



Sæcul. XVI. intelligenda sint (\*), proin Papæ ratio-  
 A.C. 1529. nes utpote falsis principiis innixæ, pe-  
 nitus corruissent. Verum Carolus Pon-  
 tifici

(\*) Ejusmodi responsum minime summo Pontifici timendum erat a Carolo Rege Catholico, & Cæsare Christianissimo, qui nondum cognitum habebat Cleri Gallicani conventum anno Domini millesimo sexcentesimo octogesimo secundo celebratum, econtra vero firmiter tenebat omnium retro aëtorum sæculorum doctrinam, qua ab omnibus credebatur, quod soli Petro tanquam capiti propter Ecclesiam infallibilitas, sine qua membra seu oves pascere non posset, a Christo promissa sit, & nunquam in sacris Paginis legatur, ovibus seu Ecclesiæ soli propter Petrum ejusque Successores ejusmodi privilegium fuisse concessum: Ceterum an prærogativa fidei nunquam defecturæ personam Petri tantum nobilitaverit, vel an etiam ad ejus Successores simul sit transmissa, vel utrum verba, quibus Petro hoc Privilegium conceditur, Petrum quatenus universæ Ecclesiæ personam gerebat, significant, varia est sanctorum Patrum interpretatio, ita tamen, ut neutra alteram expositionem destruat, proin Imperator Carolus summo Pontifici inepte reposuisset, quod hæc Christi verba duntaxat de sola Ecclesia intelligenda sint. Cum autem de hac controversia innumeri pene extent Auctores,

tifici cuncta sua jura latius extendendi facultatem libere concessit; unde Clemens hunc in modum prosequatur: quando etiam summi Pontifices aut propter humilitatem, aut alias ob causas suæ potestatis plenitudine non utebantur, Conciliorum tamen Patres semper eosdem ad exercendam omnem suam auctoritatem urgebant; quocirca eadem hæc potestas semper aucta fuit per ipsa Concilia, quæ summi Pontifices sive ad coercendos hæreticos, sive propter alias Ecclesiæ necessitates celebrabant. Præterea, etiamsi Christi Domini promissio, quæ tamen unicum supremi Pontificatus fundamentum est, silentio prætereatur, nihilominus Synodi celebratio semper Papali auctoritati proficua erit, eoquod in ea jus suffragii duntaxat penes Episcopos sit, quorum summopere interest, ut Pontificis auctoritatem semper integram servant, cum eorum auctoritas adversus Principum ac populi invidiam, & licentiam ab ipsa quoque Papæ potentia præsidium ac patrocinium accipiat, at-

O o 5

que

res, hi passim consuli poterunt, ac inter ceteros præcipue Hieremias a Bennetiis in *vindictis Privileg. summ. Pontif.* necnon Gallus Cartierus in libro *de auctoritate & infallibilitate Pontificum contra Bossuetium & Tournesium.*

Sæcul. XVI.

A.C. 1529.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1529

que ipsi etiam Reges ceterique Principes ad regendum idonei Apostolicæ auctoritatis tuendæ studiosissimi sint, cum per illam validissimum frænum habeant ad suarum ditionum Præsules in officio continendos, si quando ultra potestatis suæ limites vellent assurgere. Ceterum prædicare audeo, inquebat Pontifex, quod ejusmodi Synodus graviorum adhuc tumultuum occasio futura sit in Germania, eoquod illi, qui eam celebrari postulant, hac petitione utantur tanquam prætextu, sub quo impune in suis erroribus perseverare valeant usque ad Synodi celebrationem: ubi vero eorum hæresis damnata fuerit, prout abs dubio proscribetur, illi quantocius ut Synodi definitionem eludant, graviora adhuc molituri sunt. Tandem Papa suam orationem his verbis absolvit: Meis rationibus plena fides adhibeatur, eo potissimum nomine, quod nullo alio desiderio magis ardenti inciter, quam ut Germania rursus Ecclesiæ uniatur, ac penitus Cæsari subjecta maneat; neutrum vero impetrari posse prævideo, nisi sacra Cæsarea Majestas sua prompte in Germaniam revertatur, ibidemque Leonis X. Constitutionem ad effectum deduci jubeat, nec Protestantum precibus sese flecti permittat, sive demum ad dilucidanda eorum dubia Synodum petant,

petant, siue interpolitam oppositionem, necnon suam appellationem ad Concilium allegent, siue denique ad tegendam suam impietatem quocunque alio obtentu utantur. Si vero illi mandatis tuis morem gerere recusaverint, quantocius eos armis in officium revoces, nec id tibi difficile erit, cum omnes Principes Ecclesiasticos, necnon potissimos ex Principibus Laicis tuo obsequio addictos habeas. Hæc quoque præstare teneris Romanæ Ecclesiæ, cum illius sis protector, necnon Romanorum Rex, ac insuper ad id tam Sacramentum, quod in coronationis tuæ solemniis Aquisgrani exsolvistis, te adstringat, quam etiam obliget iusjurandum, quod in coronæ Imperialis receptione proxime præstiturus es (\*).

Sæcul. XVI.  
A.C 1529.

§. XCVII.

(\*) Hucusque Continuator, nostrarum vero partium esse censemus, ut Lectorem admonemus, allatas rationes male consarcinatas, ac confictas fuisse a Paulo Sarpi, seu Suavi Polano Sedis Apostolicæ inimico, inconsiderantius vero ab eodem per Continuatores nostrum descriptas, qui in narrationis suæ testes allegat Pallavicinum, & Raynaldum Odoricum, quorum tamen posterior nec verbum habet de allatis Papæ rationibus, alter vero lib. 3. cap. 2.

Eas

Sæcul XVI.  
A.C. 1529.

§. XCVII.

*Cæsar Papæ rationibus cessisse  
videtur.*

*Guice lib. 29.  
Raynal. hoc  
ann. n. 50.*

Cum vero harum rationum, quas allegabat Papa, infirmitas etiam rudioribus patefceret, nihil expeditus erat,

Eas omnino commentitias esse, Papamque potius Synodum celebrari voluisse, velut rem apud Scriptores passim obviam referat, ipsumque Sarpium hujus fraudis Architectum his verbis redarguat: *Jam vero, si Suavis in re, quæ tam facile cognosci poterat, & vel per libros typis editos convinci, adeo vel indiligens fuit vel fallax, apud quem unquam erit illi fides, cum postea narrat de secretioribus Pontificem inter & Cæsarem colloctionibus de Concilio? Quas res ille ita confidenter, ita minutatim describit, ut Poetæ solent eventa omnia antiqua & abdita particulatim ac indubitanter referre, quasi Musarum admonitu ea cognoverint.* Nec temera est Palavicini conjectura; cum enim ante Sarpium nullus omnino Auctor arcani hujus colloquii mysteria enarret, atque aliunde constet, Sarpium tunc haud tantæ auctoritatis Virum fuisse, ut ea, quæ inter Papam & Cæsarem secreto agitata fuere, ipsi fuerint manifestata, vel communicata, hinc merito talia ab illo pro sua solitâ Pontifices cavillandi licentiâ mere conficta fuisse

erat, quam easdem penitus evertere; Sæcul XVI  
A.C. 1529.  
nec dubium est, quin & ipse Imperator  
æque ac ceteri hæc rationum momenta  
sua

fuisse videntur, quamvis infausto prorsus successu; qua enim ratione hæc duo conciliari poterunt, nimirum, quod Papa a Concilii celebratione una ex parte vel maxime abhorruerit, altera vero ex parte Cæsari ejusmodi proposuerit rationes, ex quibus Papa per ipsam Synodi celebrationem Pontificis auctoritatem non modo stabiliri, sed & augeri ostendit. Insuper Guicciardinus, cui magis quam Sarpio ea, quæ tunc cum Cæsare agebantur, explorata esse poterant, narrat, quod Pontifex gratius habuisset, si Cæsar pro coronatione Romam veniret, ast Carolus, ne hanc urbem accederet, ea utebatur excusatione, quod Principes Germaniæ suum illuc adventum sollicitarent Concilii urgendi causa. *Quomodo igitur, inquit Pallavicinus, potuisset Imperator Pontifici hujusmodi excusationem pratexere, si jam antea, ne illud cogere- tur, cum Papa convenisset.* Qua etiam fronte eodem anno Papa Cæsari Concilium postulanti hæc respondere potuisset: *Certus sum a te, pro eo ac conscius es meæ in commune bonum voluntatis, minime dubitari, nullam unquam a me Synodi prolationem interponendam; nonne Cæsar Pontifici contra Concilii celebrationem Bononiæ peroranti, hanc ipsam mentis suæ declarationem opposuisset, eumque fallaciæ arguisset.*

Sæcul XVI. A. C. 1529. sua soliditate destitui animadverterent, nihilominus cum Cæsar foret imbecillius ingenii, nimioque Pontifici complacendi

guisset. Ex his igitur patet, illas rationes, quas Sarpinus a Papa propositas refert, & Continuator recitat, mere conficias esse, quæ, etsi reapse a Papa in præfato colloquio allatæ dicerentur, duntaxat probarent, quod Pontifex Synodum tunc bono publico haud profuturam censuerit; ac periculum imminere timuerit, ne iidem, qui schisma vetus se extirpaturos jactitabant, novum conflarent, nullatenus tamen evincunt, quod Papa Synodum ob auctoritatis suæ ibidem imminuendæ metum declinare voluerit. His subjungere libet ipsius Clementis Papæ verba in l. 2. literar. ad Principes recitata, ex quibus prompta Synodum convocandi voluntas, simulque rationes, quas Papa pro illius dilatione habebat, perspiciuntur. Inquit ille: *Doctrina, quam respuunt Lutherani, utpote decisa a Conciliis antiquis non potest iterum in dubium revocari, nisi de illorum Conciliorum auctoritate dubitetur. Morum reformatio, se qua est necessaria, ad ipsum spectat Pontificem, quam convenire oportet tanquam Ecclesiæ caput. Concilium omnino videtur importunum; cur ejus convocatio non sine magno Reipublicæ discrimine haberi possit, Et quia nunquam dicent, legaliter congregatum. Unum itaque superest remedium. ut gladio Cæsaris, qui est Advocatus*

cendi studio esset abreptus, Synodi celebrationem, quam eidem tantopere displicere cognoverat, fortius urgere, ejusque animum exasperare verebatur. (\*) Quapropter consilio, quod ei suggerere-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1529.

*tus Ecclesiæ, coercerentur. NB. Nec credat Cæsar & Papa timeri Concilium, quod ex Episcopis compositum tanquam membris non poterunt isti insurgere adversus caput, si tamen utile credent, id facile dabo.*

(\*) Hæc nimia prorsus licentia Continuator effudit adversus Carolum Cæsarem gloriosissimum juxta ac piissimum, cujus virtus ab ipso etiam hoste, ac hæreticis laudatur! quis enim credat, quod Imperator Papæ rationes nullo firmo fundamento inniti probe cognoverit, & tamen solo complacendi studio in re tanti momenti tacuerit, nec per se nec per alios rationes adeo infirmas confutarit, cum tamen Religionis causam tantopere cordi haberet, ut nec labori, nec sumptibus parceret, imo proprias suas terras, dignitatemque Cæsaream non semel discrimini libentius exponeret, quam ut vel minimum omitteret, quod ad tuendam Ecclesiam, & sedandos tumultus opportunum judicabat. Verum cuncta, quæ Continuator ex suo Sarpio de allatis hisce Papæ rationibus refert, inane esse figmentum, sat luculento ostenditur argumento, eoquod nec Sarpus, nec

Con-



Sæcul. XVI. C.A. 1529. gerebat Papa, aquiescens statuit, ut præprimis omnium Imperii Statuum comitia agerentur, in quibus ad revocandam Lutheranorum cum Catholicis concordiam se extremos conatus adhibiturum spondit, concessitque, ut tandem ad Synodi celebrationem res deducatur, si optatus comitiis deesset eventus. Ita nempe optima quæque consilia nonnunquam eorum firmitate destituuntur, qui illorum executionem urgere possent (\*).

## §. XCVIII.

Continuator, nec alius quisquam Scriptor recensere audeat, quid Cæsar ad Papæ propositionem, ejusque rationes opposuerit, vel reponi jufferit! de cetero Lector in progressu hujus Historiæ persæpe animadvertet, quod Continuator forte immaturo propriæ suæ gentis amore obcæcatus livido nimium dente Caroli V. atque Austriacæ domus gloriam corrodat, in quo eum haud æquius excusare possum, quam hisce Taciti verbis: *Infitum est mortalibus, alienam felicitatem ægris oculis intueri.*

(\*) In horum fidem rursus Continuator testem allegat Raynaldum Odoricum hoc anno num. 50. qui tamen nec ibi nec alibi hanc materiam vel unico verbulo tangit.

## §. XCVIII.

Sæcul XVI.  
A.C. 1529.*Cardinales a Clemente VII. Papa  
creati.*

Hoc item anno summus Pontifex tribus distinctis vicibus tres Prælatos purpura donabat. In prima creatione, quæ ineunte hoc anno facta est, ad Cardinalium dignitatem pervenit Hieronymus ab Auria patria Genuensis, Cremolinensis Comes. Hic post conjugis suæ mortem sacræ militiæ nomen dedit, ac primo Nebiensem, postea Jacensem & Oscensem Ecclesiam rexit, demum vero Tarraconensi Archiepiscopatu decoratus est. Præfuit primo Cardinalis Diaconus Ecclesiæ S. Thomæ *in Parione*, quo titulo postea commutato, illum S. Mariæ in Porticu obtinuit.

Altera creatio habita est die decima Januarii, qua Hyppolitus Medicæus patria Florentinus, atque Avenionensis Archiepiscopatus Administrator Cardinalium Collegio adscriptus erat. Fuit is Spurius filius nobilis cujusdam puellæ Urbinatensis, quam Julianus Medicæus deperibat. Renuntiatus est Hyppolitus Cardinalis Diaconus tit. S. Laurentii in Damaso.

Tertius denique feria sexta die decima tertia Augusti ad Cardinalitios

*Hist. Eccles. Tom. XXXV. Pp ho-*

*Ciacon. in  
vita Pontif.  
t 3. p. 501.  
& seq.*

Sæcul. XVI honores promotus est Mercurinus de  
A.C. 1529. Gattinara Pedemontanus, qui sub Ca-  
 rolo V. Imperatore supremum Cancel-  
 larii munus obibat, decoratus titulo S.  
 Joannis ante portam Latinam.

§. XCIX.

*Passerini & Gonzagæ Cardinalium  
 obitus.*

*Ciacon. t. 3.  
 pag. 400.*

*Guicc. l. 13.  
 Aubery vie  
 des Card.*

*Panvin in  
 vita Rom.  
 Pontf.*

*Steph. Jo-  
 annineus in  
 Monarchia  
 Medicea.*

*Ughel. in  
 addit. ad Ci-  
 acon. & in*

*Italia sacra.  
 Possevin. in  
 geneal. Gon.*

*Petra sancta  
 Symbol. he-  
 roic. l. 6.*

**H**orum creatio supplebat jacturam  
 duorum Cardinalium, quorum o-  
 bitum hoc anno sacrum Purpuratorum  
 Collegium planxerat. Ex his primus  
 erat Sylvius Passerinus Cortonæ natus,  
 qui juvenis admodum inter familiares  
 Medicææ familiæ cooptatus plurimum  
 gratia apud Leonem X. summum Pon-  
 tificem valebat, a quo etiam Datarie  
 munere auctus Anno Christi millesimo  
 quingentesimo decimo septimo purpu-  
 ra ornatus est. Postea vero Patriæ suæ  
 Episcopus renuntiatus, Narniensi, Af-  
 fssinenfi, ac Barcinnonensi Ecclesiis  
 præfuit. Aliquamdiu etiam Reipubli-  
 cæ Florentinæ rebus administrandis  
 præfectus Perusiæ necnon in Ducatu  
 Spoletano Legatione fungebatur, tan-  
 dem vero Tipherni ad Tyberim deces-  
 sit die vigesima Aprilis ætatis suæ an-  
 no sexagesimo, & sepultus est in Eccle-  
 sia S. Laurentii in Lucina, cujus titu-  
 lum

lum primo possederat; postea enim Cardinalis tit. S. Petri ad vincula renuntia-  
tus est.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1529.

Alter erat Cardinalis Pyrrhus Gonzaga Mantuanus Episcopus, qui itidem hoc anno Mense Aprili extremum diem clausit. Is erat Nepos Joannis Francisci Mantuæ Marchionis, & Frater Ludovici Gonzagæ, qui vulgo *Turca* nominabatur. Tantos in sacratoribus literis progressus fecerat Pyrrhus, ut Clementis VII. Papæ gratiam ac favorem promeritus ab eodem ad Cardinalium dignitatem Anno salutis millesimo quingentesimo vigesimo septimo eveheretur; Præcipue enim idem summus Pontifex digno præmio compensare satagebat præclara prorsus obsequia, quæ eidem non modo Pyrrhus, sed potissimum ejus frater præstitit, qui hunc Papam a Cæsareis militibus obsessum ex arce liberum eduxit. Referunt Scriptores, quod Pyrrhus familiari Symbolo usurpaverit imaginem Herculis, qui clava sua renascentia Hydræ capita contundit, adjecto hoc lemate: *Tu ne cede malis.*

§. C.

*Continuatio Historiæ de divortio  
Henrici VIII.*

Interea continuo quidem, quamvis ad-  
modum

P p 2

modum

Sæcul. XVI  
A.C. 1529.

*Le Grand  
hist. du di-  
vorce tom. 1.  
p. 116. & seq.  
Buonet  
p. 105.*

modum lente in Anglia agebatur de di-  
vortio Henricum inter & Catharinam  
ejus Conjugem faciendo. Equidem nil  
magis Rex in votis habebat, quam ut  
Clemens Papa Bullam, qua ejus con-  
nubium haud validum declaretur, mo-  
tu proprio ederet, simulque novam  
Sponsam ducendi facultatem permitte-  
ret, aut saltem Volsæo & Campegio  
Legatis suis hanc causam pro Rege de-  
cidendi negotium committeret. Ve-  
rum Papa, ne Angliæ Regi ejusmodi  
favorem concederet, Cæsaris metu ab-  
sterrebat; præcipue cum nuperrime  
Imperator Catharinæ Reginæ nomine  
contestatus esset, quod omnia, quæcun-  
que in Anglia circa divortium ageren-  
tur, invalida ac irrita declaret, simul-  
que palam faciat, quod Regina utrius-  
que Legati judicio sese committere re-  
nuat, cum earum unus aperte Regi fa-  
veret, alter vero Sarisberiensis Episco-  
pus esset. Enimvero illi, qui Romæ  
Regis causam agebant, nil intentatum,  
inausumque relinquebant, ut ad rejici-  
endam Cæsaris declarationem Papam  
inducerent; verum Clemens intrepide  
illis respondit, quod sine injustitiæ nota  
hoc reclamandi jus Reginæ denegare  
haud posset, cum ejusmodi facultas eti-  
am cuilibet privato concedatur, aliun-  
de vero hæc oppositio ipsius causæ me-  
ritis

ritis nullum damnum inferat. Ex hoc Sæcul. XVI.  
A.C. 1529.  
Papæ responso Henrici Procuratores se  
oleum & operam perdere haud obscure  
colligebant, quocirca datis ad Regem  
literis significabant, se nonnisi lenta mo-  
ra detineri, timendumque, ne caussa  
ad Sedis Apostolicæ tribunal devolvere-  
tur, nisi prompte in Anglia dirimatur.  
Præterea nunciatum erat Angliæ Regi,  
quod Carolus Imperator, cum nullum  
sibi a Gallis periculum inito pacis fœ-  
dere immineret, nunc firmiter quam un-  
quam Catharinæ caussam æquitate suf-  
fultam pro viribus tueri statuisset, jam-  
que Angliæ Ministris declarasset, quod  
divortii negotium nunquam in Angliæ  
Regno dijudicandum foret, cum nemo  
alius præter summum Pontificem, aut  
Synodum hanc caussam decidere va-  
leret. Id etiam a Legatis eorum Regi  
Cæsar significari iussit.

## §. CI.

*Angliæ Rex caussam suam coram Le-  
gatis persequi intentus.*

**H**is perceptis Henricus Rex divortii  
sui caussam coram ambobus Lega-  
tis persequi decrevit, simulque Gardi-  
nerum ex Italia revocavit, eoquod il-  
lum tanquam Virum negotii gerendi  
dexteritate, longaque rerum experien-

Sæcul. XVI. A.C. 1529. tia longe clarissimum veneraretur, ejusque opera ac consilio in litis suæ progressu uti statuisset. Ergo eidem præprimis negotium dedit, ut rursus ante discessum suum Papam adiret, eumque eo inducere tentaret, ut novum ederet diploma, quo hujus causæ cognitionem cunctis præter suos Legatos interdiceret, his vero tam amplam concederet facultatem, ut absque provocatione ad Sanctitatem suam huic liti finem imponere valerent. Attamen Clemens Papa insidias, quas ei Rex struere moliebatur, facile detexit, ac feliciter declinavit; unde Gardinerus & Brianus, qui ambo revocabantur, de suæ legationis successu parum contenti in patriam suam re infecta reverti cogebantur. His subrogabatur Doctor Benetus, cui duntaxat in mandatis datum, ut quantum in ipso esset, prohiberet, ne causa ad alios judices extra Regnum transferretur.

## §. CII.

*Epistola utriusque Legati ad Anglice Oratorem.*

*Le Grand*  
*l. cit. p. 126.*  
*Et seq.*  
*Burnet Re-*  
*form. Angl.*  
*t. I, p. 107.*

Huic Doctori ambo Legati Epistolam tradebant ad Papam ac Cardinales deferendam, in qua his verbis totius negotii seriem exponebant: „ Hucus- que irritò licet conatu ambas litigan- tium

„ tium partes ad mutuam concordiam Sæcul. XVI.  
 „ pertrahere fatigimus. Verum Regi- A.C. 1529.  
 „ na nobis quoddam exhibuit diploma,  
 „ quod quamvis confictum esse soli-  
 „ dis rationibus demonstrare potuisse-  
 „ mus, demandatæ tamen potestatis li-  
 „ mites nos excessuros credidimus, si  
 „ sententiam ferre, aut decidere velle-  
 „ mus, an Pontificis Epistolæ vel Con-  
 „ stitutiones validæ ac legitimæ sint;  
 „ nam nonnisi inviti ac reluctantes ju-  
 „ dicio nostrum proferimus in quæ-  
 „ stione, an summus Pontifex in certis  
 „ casibus legis gratiam facere valeat.  
 „ Hac ex causa optimum fore cense-  
 „ mus, si Sanctitas sua totam causam  
 „ ad suum tribunal revocet, simulque  
 „ Constitutionem edat, dummodo ea  
 „ succinctæ huic relationi, quam hic  
 „ inferimus, consona sit; nec hoc con-  
 „ siliium nostrum exemplo caret, aliun-  
 „ de vero expeditum suppeditat medi-  
 „ um, quo amice lis componi, simul-  
 „ que satisfieri poterit huic Monarchæ,  
 „ qui pluribus abhinc annis identidem  
 „ crebris anxietatibus turbatus, indies  
 „ per varias Theologorum ac Juris Ca-  
 „ nonici peritorum opiniones magis  
 „ magisque sollicitudinum aculeis tor-  
 „ quetur, semperque incertus hæret,  
 „ quid potissimum eligeret, cum vali-  
 „ da utrinque argumenta militare cer-



Sæcul XVI. „ nat, nilque ardentius in votis habeat,  
 A.C. 1529. „ quam tutiorem viam amplecti. Nec  
 „ parum hanc animi curam auget fum-  
 „ mus mæror, quo Rex orbatum se  
 „ dolet prole mascula, quæ pro salute  
 „ populi sui absque controversia in  
 „ spem Regni florere, suorumque sub-  
 „ ditorum felicitatem certam reddere  
 „ posset. Quapropter hujus causæ de-  
 „ cisionem diutius differri, haud æqu-  
 „ um fore censemus, cum harum ra-  
 „ tionum robur cunctis ceteris præva-  
 „ leat, ac aliunde passim a Regis ho-  
 „ stibus rumor spargatur, quod causæ  
 „ suæ momenta unice innitantur ma-  
 „ ximo, quo Reginam conjugem suam  
 „ persequitur odio, necnon effræni ali-  
 „ am, quam tamen forte nequidem no-  
 „ minare possent, ducendi desiderio.  
 „ Haud equidem diffitemur, Reginam  
 „ morosæ prorsus indolis fæminam,  
 „ exigua admodum gratia ornatam,  
 „ ac insuper procreandis liberis impa-  
 „ rem; nihilominus vero vix simile vi-  
 „ detur, quod Rex postremis vitæ suæ  
 „ diebus non sine gravi animi levitate  
 „ omnem affectum erga conjugem suam  
 „ exuere, seque tot calumniis, tot mo-  
 „ lestiis, anxiisque curis ex solo eam  
 „ relinquendi desiderio exponere velit,  
 „ postquam cum illa cunctos juventutis  
 „ suæ annos jucunde transegerat, ei-  
 „ que

„ que toto illo tempore crebris admo- Sæcul. XVI.  
 „ dum testimoniis amoris sui sincerita- A. C. 1529.  
 „ tem comprobata fecerat. Testamur  
 „ enim, quod Rex noster verum Dei timo-  
 „ rem atque ingens æquitatis studium in  
 „ corde suo foveat, quapropter, licet  
 „ de causæ suæ justitia securus sit, ma-  
 „ luit tamen Sedis Apostolicæ decisio-  
 „ nem præstolari, quam proprii sui ju-  
 „ dicii, aut juris peritorum consilia vel  
 „ Procerum suorum suasiones sequi. „

„ Itaque omni, quo possumus, ar-  
 „ dore rogamus & obsecramus Sancti-  
 „ tatem suam, ut tandem Regi reme-  
 „ dium, quo indiget, concedere velit,  
 „ in præsentem enim rerum statu nullate-  
 „ nus sacrorum Canonum severitati in-  
 „ sistendum est; harum quippe legum  
 „ interpretes sunt summi Pontifices, Re-  
 „ ges, cunctique Principes, præcipue  
 „ ubi levis cujusdam indulgentiæ subsi-  
 „ dio Rex, ejusque Regnum in fide ac  
 „ obsequio conservari potest, severita-  
 „ te autem utrumque amittendi peri-  
 „ culum imminet. De cetero cuncta a-  
 „ lia, quæ hac in causâ excogitari po-  
 „ terunt, remedia totum Angliæ Reg-  
 „ num tumultibus, ac dissidiis reple-  
 „ bunt, ac forte omnem sacræ Sedis  
 „ auctoritatem evertent; non pauci e-  
 „ nim reperiuntur homines, qui vene-

Sæcul. XVI., num, quo inveci sunt, adhucdum  
A C. 1529. „ occultant, quia Papam ac Regem  
 „ sincera amicitia conjunctos timent.  
 „ Denique ut Epistolæ nostræ finem im-  
 „ ponamus, paucis exponimus, æqui-  
 „ tatem deposcere, ut in præsentî re-  
 „ rum vicissitudine, ubi hinc jus dubi-  
 „ um, illinc periculum sat ingens est,  
 „ Sanctitas sua quicquam de rigore Ec-  
 „ clesiasticarum Sanctiõnum remittat;  
 „ haud frustra enim in summi Pontificis  
 „ judicio anima ac sacrorum Canonum  
 „ vis reposita est. Si vero secus fece-  
 „ rit Sanctitas sua, non modo Regem  
 „ Angliæ, sed & talem fidei defen-  
 „ sorem a se divellet, cujus potentia, ac  
 „ fervens Religionis studium per uni-  
 „ versum Orbem inclaruit. Præterea  
 „ serio perpendendum, quod Principes  
 „ ac Nobiles hujus causæ, ubi de eo-  
 „ rum bonis ac vita agitur, decisionem  
 „ tamdiu protrahi querantur, ac ubi-  
 „ que ejusmodi cunctatio fugilletur,  
 „ tamque indigna effutiantur, ut ea  
 „ Sanctitati suæ referre minime aude-  
 „ remus; dixisse tamen sufficiat, pa-  
 „ lam a nonnullis fuisse dictum, quod  
 „ summi Pontifices, quando id eis be-  
 „ ne visum fuit, ipsa etiam Dei præce-  
 „ pta immutarint; nunc vero Pontifex  
 „ ea, quæ a quopiam suorum Præde-  
 „ cessorum facta sunt, revocare renuat,  
 „ per-

„ perinde ac si juris divini auctoritas Sæcul. XVI.  
 „ quadam Bulla inferior esset. Equi- A. C. 1529.  
 „ dem nulli labori parcimus, ut Regem                       
 „ inducamus, quatenus tamdiu præsto-  
 „ lari velit, donec ad præsentem lite-  
 „ ras nostras responsum acceperimus,  
 „ quod & nos ea benignitate dari effli-  
 „ ctim rogamus, ut inde Regis suorum-  
 „ que subditorum animis tranquillitas  
 „ reddatur; secus enim totum Angliæ  
 „ Regnum a Sedis Apostolicæ obedi-  
 „ tia scissum iri haud dubitamus. Igi-  
 „ tur rursus Sanctitatem suam obtesta-  
 „ mur, ut quocunque modo ac quam-  
 „ primum poterit, Regi satisfaciat;  
 „ cetera, eaque plura Sanctitas vestra  
 „ ex præsentis Epistolæ latoribus per-  
 „ cipiet, quæ nos tamen calamo confi-  
 „ dere haud audemus; avide tamen  
 „ responsum præstolamur, quo de Re-  
 „ gis statu certum fieri iudicium, suæ-  
 „ que conscientiae tranquillitas restitui  
 „ valeat. „

## §. CIII.

*Prima fortunæ Volsæo Cardinali ad-  
versæ initia.*

**R**eferunt Scriptorum nonnulli, quod  
 Volsæus Cardinalis propter præfa-  
 tam Epistolam apud Angliæ Regem in-  
 offensa esse cæperit; arguebatur enim  
 hic

Sæcul. XVI. hic Legatus, quod in hisce literis summo Pontifici sat fundatum suggererit obtentum, quo divortii causam ad Romanæ Curix tribunal evocare posset, cum tamen id Henricus summopere pertimesceret, ac propterea erga hunc Cardinalem minus propensum exhiberet animum; id ubi Anna Bolena, quæ pro summo Imperio Aulam regebat, animadvertenter, infestos Volsæi casus ad explendum, quo Cardinalem prosequeretur, odium convertere satagebat, nullasque eidem molestias inferendi occasiones prætermittebat; hanc ob rem Nobilem Catenium, qui Volsæi opera aula abesse iussus fuerat, revocavit, cunctisque injuriis, quas eidem vindicandi libido dictabat, Cardinalem affecit. Jamjam Volsæus Regiæ indignationis effectus non sine acerbissimo dolore sentiebat, nec tamen amplius malo remedium supererat.

## §. CIV.

*Papæ Legati in Anglia congregati.*

Interea Henricus Rex nullum non movebat lapidem, ut divortii sui causa, quam omnino in Anglia dirimi voluit, coram se ac Campegio strenue urgeretur. Hanc in rem die decima tertia Maji Cancellarius diploma regio sigillo

gillo munitum expediri jussit, quo Legatis facultas concedebatur, ut hanc causam plene cognoscendi potestatem ipsis demandatam exequi possent. Alatae fuerunt hae literae per Lincolniensem Episcopum, qui eas Legatorum Protonotario tradidit. His ab eodem alta voce perlectis ambo Cardinales hasce literas acceptarunt, polliciti, se juxta illarum tenorem hac in re processuros, quo facto quantocius Secretarii, qui pro hoc tribunali seligebantur, fidem suam Sacramenti Religione obstringere jubebantur, simulque diploma apostolicum, quod ex Hispania afferebatur, discussum fuit, illudque ex pluribus rationibus, quas ex praefato Regno Leeus ac Vigorniensis Episcopus perscripserant, mere confictum probabatur. Nam primo, inquebant illi, hujus diplomatis authographum eis exhibere, Hispani constanter recusarunt. II. Nunquam certum quid comperire potuerunt, qua demum ratione hoc diploma denuo inventum fuerit, cum nonnulli affirmant, illud fuisse repertum in scriniis Peublæ Doctoris, qui paulo ante Henrici VII. obitum Ferdinandi Regis in Anglia legatus fuerat; alii ex adverso affererent, praefatum diploma in Regis Hispaniæ tabulario fuisse affervatum. III. Hoc Breve necnon & Pontificis Bulla

Sæcul. XVI.

A.C. 1529.

*Vide supra*

S. 49.

Sæcul. XVI. Bulla eodem Mense ac omnino eadem  
 A.C. 1529. vigesima sexta Decembris die datæ le-  
 guntur, cum tamen in expediendis A-  
 postolicis Literis, quas *Brevia* vocant,  
 nonnisi a die Nativitatis Dominicæ ini-  
 tium sumatur, Bullæ vero primum ex-  
 eunte Mense Martio expediri soleant.  
 IV. Hoc diploma nec Romæ nec in An-  
 glia unquam exstabat, cum tamen lon-  
 ge magis vero simile sit, quod illud, si  
 legitimum foret, in hisce potius Regio-  
 nibus quam in Hispania fuisset repertum.  
 Præter hasce rationes Burnetus aliud  
 adhuc in hoc diplomate vitium dete-  
 xit, quod tamen nec a Regis fautori-  
 bus, nec ab ipsis Legatis tum observa-  
 tum fuisse refert, aitque in eo loco Isa-  
 bellæ nomen Elisabethæ fuisse subroga-  
 tum, perinde acsi Isabella & Elisabetha  
 diversa forent nomina.

## §. CV.

*Novi diplomatis veritas a Regina  
 Angliæ demonstrata.*

**H**aud ægre allata rationum momenta  
 confutari, ac diplomatis veritas  
 comprobari poterant; hanc in rem pri-  
 mo ita perorabant Reginæ fautores, nil  
 magis certum est, quam quod Carolus  
 V. hujus diplomatis auctographum sum-  
 ma cum sollicitudine potissimum ea ex-  
 causa

caussa assertaverit, quia si forte fuisset Sæcul. XVI.  
 deperditum, controversia mota, de illius A.C. 1529.  
 veritate ac auctoritate haud amplius ju-  
 dicium ferri posset, utrum genuinum vel  
 mere supposititium fuerit. II. Illius ex-  
 emplar in Angliam transmissum eam  
 meretur fidem, qua majori vix ullum  
 instrumentum muniri posset, eo quod  
 ab ipso Papæ Nuntio, Toletano Archi-  
 episcopo, necnon quatuor aurei Velle-  
 ris Equitibus, & tribus aliis Cæsarei ac  
 Secretioris Senatus Consiliariis, ac de-  
 nique a quodam Tabulario Apostolico  
 fuerit subscriptum. III. Haud mirum  
 est, quod nonnulli hoc diploma, quod  
 confictum asserunt, vel non inspexerint,  
 vel Romæ non reppererint; e re enim il-  
 lorum erat, ut illud vel supprimerent,  
 vel clam ab aliorum oculis removerent.  
 Præterea haud levis conjectura est,  
 quod hoc diploma unacum tot aliis Scri-  
 pturis in Romanæ urbis deprædatione  
 fuerit deperditum; nec tamen inde con-  
 cludi poterit, quod illud nunquam re-  
 apse fuerit concessum, cum Fuxius Via-  
 comicensis Episcopus, quo nemo unus  
 magis exactam rei notitiam habebat,  
 suo chirographo testatus esset, quod  
 Doctor Peubla duas factæ dispensatio-  
 nis tabulas ejusdem omnino tenoris re-  
 liquerit, totidemque exempla in Hispa-  
 niam transmiserit, ac insuper re ipsa  
 hæc



Sæcul. XVI. hæc Bulla, illudque Breve Apostoli-  
A.C. 1529. cum adeo in omnibus inter se consona  
 sint, ut nullum inter ea discrimen oc-  
 currat, nisi quod Bullæ adjecta esset  
 particula *forſitan*, ex qua tamen tota li-  
 tis occasio nata est. IV. Ex ipſo ap-  
 poſitæ diei errore palam fit, quod abs-  
 que omni dolo fraudisque ſuſpicione  
 partes litigantes conſeſſa diſpenſatione  
 uſæ fuerint. V. Equidem particula  
*forſitan* duntaxat in Bulla reperitur, at-  
 tamen cum Legatus ſat ſibi compertum  
 haberet, quod juris plenitudo cauſſæ  
 meritis non obſit, hinc omnem litis ma-  
 teriam ſubmovere, atque ad majorem  
 factæ gratiæ ſecuritatem in diplomate  
 ejusmodi clauſulam adjicere voluit, ex  
 qua notum fieret, quod facti ſeries eo  
 modo fuerit expoſita, ut difficilior eſſet  
 legis gratiam concedendi voluntas, pro-  
 in Henrici Procuratores ex hac clauſu-  
 la nil in clientis ſui favorem eruere poſ-  
 ſent, quin imo utrumque etiam Lega-  
 tum ab hac ſententia parum fuiſſe alie-  
 num, ex ipſa Epistoſa, quam ad Pon-  
 tificem perſcripſerant, colligitur.

## §. CVI.

*Angliæ Rex & Regina coram Lega-  
 tis comparere juſſi.*

Jam die decima quinta Junii Henricus  
 Rex

Rex causæ suæ Advocatos nominabat Sæcul. XVI.  
A. C. 1529.  
 Joannem Richardum Sanfonem Regii  
 Sacelli Decanum, Joannem Belt Juris  
 Doctorem, necnon Peterum & Trigone-  
 lum: Regina vero patrociniū in se su-  
 scipiebant Joannes Fischerus Roffensis  
 Episcopus, Henricus Staudicius Afa-  
 phensis, & Ridlæus celeberrimus Theo-  
 logiæ Doctor (\*). Præterea Volsæus &  
 Campegius quosdam in causæ hujus  
 subsidium advocabant, hos inter præci-  
 pui erant Longlandus Lincolnensis E-  
 piscopus, qui Regi a confessionibus erat, Burnet l. cit.  
p. 102. l. 2.  
 Joannes Clercus Bathonensis Episco- Acta publica  
Angl. t. 14.  
p. 295. & seq.  
 pus, Joannes Islep Westmonasteriensis  
 Abbas, necnon Joannes Taillor, cui  
 causarum Codices asservandi cura de-  
 mandata erat. Paucis ab hac nomina-  
 tione diebus nimirum vigesima prima  
 ejusdem Mensis die Rex atque Regina  
 adesse jubentur, qui etiam ambo com-  
 parent

(\*) Alii Scriptores inter Reginae Advoca-  
 tos referunt etiam Guilielmum Varanum Can-  
 tuariensem Archiepiscopum, necnon Cuthber-  
 tum Tonstallum Londinensem, Nicolaum Ve-  
 stum Eliensem, & Joannem Clercum Cathonen-  
 sem Episcopum, quibus tres insuper Doctores  
 adjectos recensent, nimirum Ableum, Fether-  
 stonum, & Povellum.

*Hist. Eccles. Tom. XXXV. Q q*

Sæc. XVI.  
A. C. 1529.

parent unacum suis advocatis, ac denique a Legatis interrogabantur, num adessent? reposuit Rex: Ecce me! Regina vero nihil respondens, e loco suo surrexit, seque ad Regis pedes provolvit, Regisque animum ad saniora reducere satagens sermonem exorsa est, qui tenerrimis juxta ac amore plenis conceptus verbis omnium animos ad commiserationis sensum inclinare potuisset,

§. CVII.

*Oratio Reginae ad Mariti sui pedes prostratae.*

Igitur Regina inter alia hunc in modum Regem alloquebatur: „ En! me  
„ miseram, peregrinam, a parentibus  
„ meis atque amicis longe sejunctam,  
„ hucusque nec propriae meae voluntatis,  
„ nec Advocatorum meorum consilia sequi ausa sum: Deum tamen  
„ meum testor, quod legitima thori tui  
„ socia semper inviolatam tibi fidem  
„ servaverim, ac per plures, ac viginti  
„ annos connubii nostri ea affectus  
„ teneritudine, quam uxor marito suo  
„ debet, te profecuta sim, ignora profusum,  
„ qua demum ratione, aversionem tuam  
„ incurrere poterim; si tamen conscientiae  
„ rationem habere velis, minime te latere poterit, quod  
„ me

„ me intactam adhuc virginem exper- Sæcul. XVI.  
 „ tus sis, dum tibi conjuncta fueram, A.C. 1529.  
 „ & si falsum me proferre noscis, lu-  
 „ bens concedam, ut cum infamia a te  
 „ projiciar; præterea Parentes mei,  
 „ Principes non minus probi quam sa-  
 „ pientes, matrimonii mei, priusquam  
 „ concluderetur, conditionem mature  
 „ discuti fecerunt, nec etiam Viri pru-  
 „ dentia celeberrimi, quorum consilia  
 „ expetebant, vel unquam detegere po-  
 „ terant illas rationes, ob quas paucis  
 „ abhinc annis matrimonium invalidum  
 „ fuisse contenditur. Me quod attinet,  
 „ hucusque mente assequi haud potui,  
 „ qua demum ex causa illud in dubium  
 „ vocari queat; ecquidem non deerant,  
 „ qui mihi ejusmodi suggesserunt consi-  
 „ lium, quod tamen merito suspectum  
 „ habeo, eoquod mei Advocati ac Ju-  
 „ dices tibi Regi meo subjecti sint; nec  
 „ ipsam quoque Legatorum auctorita-  
 „ tem agnoscere valeo: cum igitur  
 „ quodcunque tribunal in Anglia suspe-  
 „ ctum habeam, rogo te, & obsecro,  
 „ ut hujus causæ discussionem penitus  
 „ interrompi jubeas, donec ex Hispa-  
 „ nia literas recepero. Hanc si nega-  
 „ veris gratiam, pace mea quod tibi lu-  
 „ bet, facere poteris. „ His dictis Re-  
 „ gina abiit, nec unquam vel redire, vel  
 „ coram Legatis comparere voluit.

Q q 2

Post-

Sæcul. XVI.

A.C. 1529.

Postquam Regina discesserat, Rex illius sermonem excepit, in hæc verba perorans: „ Nullam unquam de conjugemea querendi causam habui, quam „ semper summa fidelitate, ac submissione mihi addictissimam expertus sum, „ ejus quoque virtutes, ac præclaræ animi dotes omni laude potiores sunt, „ nec etiam, quod adversus eam in medium adducere possem, mihi occurrit, & solo conscientiæ ac religionis „ stimulo agitatus ab ejus consortio separari postulo. „

§. CVIII.

*Scrupuli origo ab Anglicæ Rege manifestata.*

*Le Grand  
hist. du divorce tom. I.  
p. 134.  
Act public.  
Angl. t. 14.  
pag. 299. &  
300.*

Vix hæc verba Rex protulerat, cum illico Volsæus Regi supplicaret, quatenus coram congregatis declarare vellet, quis omnium primus eidem divortii consilium suggesserit? Ad hæc Rex reposuit, ac sine verecundia hunc in modum effatus est: „ Equidem Eboracensis Cardinalis semper animum „ meum a divortii proposito dimovere „ conabatur; primus tamen, qui mihi „ hac super re scrupulos movit, erat Episcopus Tarbiensis, cujus sermo anxium me reddidit. Cum vero postmodum Galliarum Rex tam turpiter „ sanæ

„ sanæ prudentiæ præceptis adversare- Sæcul. XVI.  
 „ tur, ac dubitaret, an Maria Filia A.C 1529.  
 „ mea ex legitimo thoro fuisset suscepta,  
 „ tunc ipse ego acrioribus conscientiæ  
 „ stimulis agitabar; ut igitur me ab hoc  
 „ dubio expedirem, ac animi quietem  
 „ recuperarem, nec non lites, quæ de  
 „ successionis jure exoriri possent, præ-  
 „ venirem, totam rei seriem in sacro  
 „ Tribunali Longlando conscientiæ meæ  
 „ arbitro exposui, quamvis ceteroquin  
 „ conjugali Reginæ uxoris meæ con-  
 „ sortio ulterius uti paratus essem,  
 „ dummodo id salva conscientia a me  
 „ fieri posse decideretur. Post hæc Can-  
 „ tuariensem Archiepiscopum rogabam,  
 „ ut ceterorum Angliæ Præfulum sen-  
 „ tentias circa connubii mei conditio-  
 „ nem conquireret, communis autem  
 „ horum opinio, quam suo chirogra-  
 „ pho muniebant, eo abibat, hoc ma-  
 „ trimonium nullum esse. „ Hæc Re-  
 „ gis verba Cantuariensis Archiepiscopus  
 suo etiam calculo firmabat; intrepide  
 autem Fischerus Roffensis Episcopus  
 negabat, quod ipse declarationi Regi  
 porrectæ subscripsisset.

## §. CIX.

*Regina a Rege indigne habita.*

**A**ttamen non modo Regis verbis veri-  
 Q q 3 tas

Sæcul. XVI.  
A.C. 1529.

tas haud constabat, sed ipse etiam indigno, quo Reginam habuit, modo palam ostendit, quod ejus facta plurimum discrepant ab elogiis, quibus paulo ante coram Legatis virtutes ac præclaras hujus Reginæ dotes deprædicabat. Præprimis enim, ut metu illam ad sua vota inclinaret, judicii acta adversus eam instrui, summaque severitate cunctas illius actiones ad censuram revocari jussit, & quamvis non raro testes secum ipsis pugnarent, nihilominus minimi etiam nævi ex nativo indolis vitio perpetrati tanquam crimina læsæ Majestatis redarguebat. Deserebant alii in publico Status Senatu contra eam atrocissima scelera; nam exponebant ibidem, quod novissime detecta fuerit conspiratio in Regis vel Volsæi vitam adornata; conclamabant alii, quod Reginam, si tanti criminis rea esset, nulla habita Regiæ dignitatis ratione extremo plecteretur supplicio. Accusabant eam nonnulli, quod Marito suo debitum conjugis amorem denegasset, totoque tempore, quo Rex anxiiis curis oppressus languebat, non modo ipsa insolito gaudio tripudiaret, sed suos etiam familiares ad delitias, cantus, ac choreas excitaret, cum tamen eo ipso tempore ageretur de negotio, quo gravius toto vitæ suæ curriculo nunquam tractabatur,

batur, & ipsa potius pro felici exitu uni-  
 ce fundendis ad Deum precibus incum-  
 bere debuisset, quinimo, inquebant a-  
 lli, non modo diversam induit agendi ra-  
 tionem, sed etiam præter indolis suæ  
 morem non raro in publicis comparuit  
 plateis, ac singulari comitate transeun-  
 tes salutabat, haud alio ex fine, quam  
 ut subditos ab affectu ad Regem suum  
 sensim abduceret: denique non pauci  
 Reginam vel ideo in crimen vocabant,  
 quod prætensum illud Julii II. diploma  
 jam dudum recepisset, illud tamen ma-  
 turius exhibere cunctata esset. Ex his  
 igitur omnibus inferebant Reginæ ho-  
 stes, quod ea infenso erga Maritum suum  
 animo fuerit. Quocirca Senatus, cum  
 Regis vitam in discrimen adduci arbitra-  
 retur, eidem auctor extitit, ut penitus  
 a Catharinæ consortio *tam quoad thorum,*  
*quam quoad mensam* abstineret, nec ultra  
 illius societate frueretur, imo etiam fi-  
 liæ suæ Matrem invisendi copiam dene-  
 garet. Præterea Senatores censebant,  
 cuncta hæc Reginæ esse significanda, eo  
 fine, ut a causæ suæ defensione desiste-  
 ret, atque ad amplectendum vitæ Reli-  
 giosæ institutum induceretur. Expedie-  
 batur hujus sententiæ exemplar, ad cu-  
 jus calcem Volsæus latino sermone hæc  
 verba adjecit: „ Stulta es, Regina, si  
 „ cum Rege in contentionem venire

Sæcul. XVI.  
 A C 1529.

Q q 4

„ præ-



Sæcul. XVI., præsumis, nunquam divina benigni-  
 A.C 1529. „ tas in proles tuas sua dona effudit, di-  
 „ ploma vero, quod jactitas, suppositi-  
 „ tium est. „ His postea nonnullas ad-  
 „ jecit rationes, ex quibus illud falsum  
 „ fuisse credebatur. Nihilominus ejusmo-  
 „ di minæ nullatenus firmum Reginæ ani-  
 „ mum frangebant.

## §. CX.

*Legati Reginam ad suas partes per-  
 trahere intenti, ejusdem re-  
 sponsum.*

Post hæc Legati, cum quadam die  
 jussu Regis Catharinam accederent,  
 unacum nobilibus sui gynæcei virgini-  
 bus laborantem inveniebant. Hos in-  
 ter primus verba fecit Volfæus. Verum  
 præstita utrinque officiosa salutatione  
 Regina loquentem interceptit, eumque  
 ad cubile deduxit, ubi is sermonem su-  
 um absolvit, eandemque rogavit, ut  
 de jure suo quicquam in Regis favorem  
 remitteret, nec sententiæ, quæ abs du-  
 bio ejus causæ adversa foret, exitum  
 præstolaretur: Illa vero nec vultu nec  
 animo turbata intrepide Cardinali re-  
 posuit: „ Tu solus es totius mali causæ;  
 „ nec assequi valeo, quis Regi cuncta,  
 „ quæ sequitur, consilia suggerere au-  
 „ sus sit; neminem tamen præter te so-  
 „ lum,

„ lum, nec id palam profiteri reformi- Sæcul. XVI.  
 „ do, tanti facinoris reum accusare A.C. 1529.  
 „ possum; quippe Parentes mei, quorum  
 „ prudentia tibi fat perspecta fuit, con-  
 „ jugii mei conditionem discuti jusse-  
 „ runt, & Papa etiam legis gratiam fe-  
 „ cit, cujus ipsum quoque authogra-  
 „ phum penes me habeo, ego insuper  
 „ cum Rege Marito meo plusquam o-  
 „ ctodecim annis mutua vitæ societate  
 „ absque reprehensionis nota fruebar;  
 „ postquam vero tuæ arrogantiae obsti-  
 „ teram, necnon tyrannidem, ac li-  
 „ centiosæ vitæ tuæ scelera & impu-  
 „ dentiam carpere cæperam, necnon  
 „ Imperator Nepos meus ad Pontificiæ  
 „ Sedis possessionem tibi favorem o-  
 „ peramque suam impendere recusave-  
 „ rat, ab hisce demum principiis pro-  
 „ fecta sunt mala nostra, atque in hanc  
 „ denique vindictæ occasionem contra  
 „ me & Cæsarem mentem tuam inten-  
 „ disti, nec contentus, quod univer-  
 „ sam Europam belli flammis involve-  
 „ ris, speciatim etiam turpissimum mi-  
 „ hi negotium faceffere non erubuisti.  
 „ Scit Deus, Domine mi Cardinalis,  
 „ quanta patior, ast idem ipse me inter  
 „ & te iudex erit. „ Ad hæc Volsæus  
 „ responsum parabat, verum Regina eum  
 „ auscultare dedignabatur, postea Cam-  
 „ pegium alloquens eundem non sine ma-

Sæcul. XVI. gna veneratione exceptit, palam tamen  
 A C 1529 declaravit, quod nec ipsam nec Volfæ-  
 um tanquam suos iudices cognosceret,  
 sed interpositæ appellationi suæ insiste-  
 ret.

## §. CXI.

*Regina comparere recusans, ac con-  
 tumax declarata.*

*Act. publ. l. c.* ENIMVERO Regina, postquam die vige-  
 t. 14. p. 300. sima quinta comparere jubebatur,  
 Legatis significari præcepit, quod ad-  
 versus omnia, quæcunque hucusque ge-  
 sta, vel impofterum gerenda essent, so-  
 lemniter provocet. Verum hæc oppo-  
 sitio haud obfuit, quo minus contumax  
 ac vadimonium deseruisse declararetur;  
 quinimo Legati iudicii acta prosequen-  
 bantur, ac quæstionem haberi decerne-  
 bant, huncque in finem triginta sex vel se-  
 ptem testes audiebant, inter quos ta-  
 men præcipui erant ipse Rex, atque  
*Ranper. hist.* Anna Bolena. Horum testimonia ex-  
*de schif. Ang.* cipiebat Doctor Taylor Buchingamen-  
 4. I. sis Archidiaconus. Præcipuus autem  
 articulus erat carnalis conjunctio inter  
 Arthurum & Catharinam, quam tamen  
 vel unquam intercessisse Regina inter-  
 posito etiam juramento pernegabat,  
 quamvis, quantum in hac tam difficilis  
 probationis re fieri potest, quasdam  
 conjecturas in medium proferrent; quæ  
 tamen

tamen potissimum innitebantur juvenili Sæcul. XVI.  
A.C. 1529.  
hujus Principis ætati, prosperæ valetu-  
dini, ac integræ corporis sui habitudi-  
ni; præter hæc allegabatur etiam quod-  
dam colloquium, quod Arthurum alte-  
ra post nuptias die hac de re instituisse  
dicebant. Insuper Senior Norfolciæ  
Ducissa Annæ Bolenæ Avia, necnon  
Firtwaterensis Vice-Comitissa testaban-  
tur, quod Arthurum & Catharinam so-  
los in eodem lecto decumbentes depre-  
henderint. His primo Firtzwateriensis  
paulo post electus Suffexiensis Comes  
subjungebat, quod Arthurus lecto fur-  
gens potum flagitasset, ac dixisset, se  
illa nocte in calida Hispaniarum Regio-  
ne peregrinatum fuisse. Idem etiam af-  
firmabat Norfolciæ Dux, quinimo Vi-  
lugbius Eques testabatur, quod a se  
Princeps potum postulaverit (\*).

## §. CXII.

*Papa pro caussa ad tribunal suum re-  
vocanda impense a Cæsare  
rogatus.*

**E**quidem cuncta hæc testimonia die de-  
cima septima Julii publice prælege-  
bantur,

---

(\*) Hasce conjecturas Regina multis fir-  
misque argumentis confutabat, ut videri po-  
test apud Bzovium ad annum 1529. num. 37.

Sæcul XVI. bantur, cum vero Legati allata ejusmo-  
 A. C. 1529. di argumenta minus firma deprehende-  
 rent, sententiam ferre non audebant,  
 sed unice Reginam accusabant, quod  
 citata non comparuisset. Dum vero hæc  
 interim in Anglia gerebantur, Cæsaris  
 ac Ferdinandi fratris sui Oratores sum-  
 mum Pontificem vehementer sollicita-  
 bant, ut totum negotium ad Tribunal  
 Apostolicum avocaret. Haud segnus  
 instabant Henrici Regis Legati, ne Pa-  
 pa hanc causam extra Angliæ fines di-  
 judicari permetteret. Nec importunis  
 hisce precibus contenti utriusque par-  
 tis Legati, minas quoque addebant,  
 Papam, ni eorum votis cederet, folio  
 suo deturbatum iri, eoquod natalium  
 vitio laboraret. Pontifex hisce minis  
 se territum simulabat, cumque par ut-  
 rinque periculum metusque instaret,  
 five huic five alteri parti suffragaretur,  
 hinc ex ipso hoc ancipiti rerum Statu  
 sententiam suam tamdiu suspendere de-  
 crevit, donec de fœderis sui cum Cæ-  
 sare initi firmitate certior fieret. Tan-  
 dem vero accepto hoc felici faustoque  
 nuntio justissimas Caroli Imperatoris  
 preces haud amplius recusare voluit,  
 quapropter ad eundem hac super re die  
 nona Julii literas dedit, ac nequidem  
 expectato Cæsaris responso adhuc ante  
 promulgatum fœdus Angliæ Legatis  
 signi-

significari jussit, quod divortii causam Sæcul. XVI. A C 1529.  
 ad Romanæ Curiae tribunal revocare decrevisset. Hi nil intentatum inausum-  
 que relinquebant, ut Papam a conce-  
 pto consilio dimoverent, atque inter a-  
 lia eidem exponebant, quod totum An-  
 gliae Regnum a Sedis Apostolicæ obe-  
 dientia recessurum esset, omnisque il-  
 lud unquam ad ejusdem obsequium re-  
 vocandi spes succideretur. Verum in-  
 superhabitis omnibus eorum molitioni-  
 bus Pontifex diploma, quo hæc causa  
 ad Romanam Curiam devolvebatur, die  
 decima quinta Julii suo chirographo fir-  
 mavit, datisque literis die decima no-  
 na ejusdem Mensis hac de re Regem  
 Angliæ, necnon Cardinalem Volsæum  
 certiores reddidit. Idem quoque jam  
 decima quinta Julii Casalius ad Mont-  
 morentium Principem perscripserat.

## §. CXIII.

*Divortii causa ad Papæ tribunal  
translata.*

Cum vero nondum litis nuper trans-  
 latae notitia in Anglia percrebuisset, Raynald. hoc  
ann. n. 93.  
 Legati Judicii sui acta instruere conti- Burnet. hist.  
de la ref. d'  
Angl. t. I. in  
4. l. 2. p. 118.  
Le Grand. l.  
cit. t. 3. p. 336.  
 nuabant, ipsique Reginæ diem vigesi-  
 mam quintam Junii dicebant; cum au-  
 tem illa nullatenus compareret, usque  
 ad vigesimam octavam ejusdem Mensis  
 diem

Sæcul. XVI. diem inducias eidem concedebant, eam-  
A.C. 1529. que iterato, quamvis incassum per Ba-  
 thonensem Episcopum, necnon per  
 Welseum ad iudicii locum vocabant. Post hæc die vigesima octava Junii quæ-  
 dam testimonia adversus Reginam dela-  
 ta prælegebantur, quibus absolutis Ses-  
 sio proxima primo ad quintam, postea  
 ad duodecimam Julii diem indicebatur,  
 qua etiam die, necnon decima quarta,  
 decima septima, & vigesima prima ac  
 tertia confessus habebatur, ac vix unquam  
 Senatus agebatur congregatorum fre-  
 quentia celebrior. Aderat ipse Rex,  
 qui ipius in proximo quodam cubili con-  
 fidens omnium, quæ gererentur, testis  
 esse voluit. Enimvero nil reliquum erat,  
 quam ut sententia pronuntiaretur, nil-  
 que propius fore censebant omnes, quam  
 quod in postrema hac Sessione totum ne-  
 gotium dirimeretur, atque Legati ulti-  
 mum ferrent iudicium. Cum ecce! præ-  
 ter omnem expectationem Campegius  
 Cardinalis causæ decisionem ad primam  
 Octobris diem esse differendam enuntiat,  
 huiusque moræ causam allegat, moris  
 esse Romanæ Curiae, quod usque ad  
 hoc tempus ab omni forensi strepitu va-  
 caretur, seque huic consuetudini obedi-  
 re omnino obstrictum esse. His etiam  
 ad vindicandam suam innocentiam ta-  
 lia verba addebat, Regina, ut hæc  
 causa

caussa in Anglia decidatur, haud per-  
mittere potest, ac insuper non modo  
Volfæum, sed me quoque tanquam ju-  
dices suos agnoscere recusat. Ad hæc  
Suffolciæ Dux, qui tum præsens aderat,  
in rabiem actus plures minas effutiebat,  
additoque jurejurando in hæc verba  
prorupit: *Per sacram Missam nemo unquam  
Legatorum aut Cardinalium quicquam boni in  
Angliam detulit* (\*). Huic vero Campegius  
blande reposuit: periculum, in quo versor,  
haud mihi est incognitum, ast prove-  
ctæ ætatis virum decet vitam suam a-  
nimæ salutis postponere. Minori autem  
moderatione utebatur Volfæus, Duci-  
que respondit: Præter te in toto Regno  
nemo unquam minus æquam de Cardi-  
nalibus querendi causam habuit, cessa  
igitur ab ejusmodi minis, injuriis, pro-  
brisque; si vero verba tibi desunt, quæ  
honestum ac prudentem virum decent,  
fileas, ac amicorum tuorum favorem ma-  
gis cordi habere discas. Ad hæc Suffol-  
ciæ Dux nec hiscere ausus discessit.

## §. CXIV.

(\*) *Hæc, inquit Bzovius, Dux ille vel æ-  
stro quodam percitus vel fædissimo adulandi Re-  
gi studio ductus, dixit, quam severe autem Deus  
horum Ducum superbiam, ac adulationem per  
eundem Regem, ejusque filios, maxime per eam  
prolem,*



Sæcul. XVI.  
A.C. 1529.

§. CXIV.

Literæ de causa ad Romam transfere-  
renda in Angliam delatæ.

Attamen haud diu Regem latebant  
causæ, ob quas legati paratas huic  
negotio moras habere, studiose quæsi-  
vissent; brevi enim compererat, quod  
summus Pontifex eum unacum conjuge  
sua Romam venire iussisset, totamque  
divortii causam ibidem tractari præce-  
pisset. Accepto nuntio Henricus Rex  
Gardinero negotium dedit, ut Volsæo  
Cardinali significaret, quod Rex de hac  
litis translatione ullam fieri mentio-  
nem haud pateretur, nec quicquam supre-  
mæ auctoritati suæ repugnans tentare-  
tur, ne forte ejus subditi existimarent,  
quod quemdam Principem exterum tan-  
quam se superiorem agnosceret: Cum  
vero in diplomate Pontificio Rex atque  
Regina intra quadraginta dies Romam  
venire juberentur, ac insuper parere  
renuentibus nonnullæ censuræ intenta-  
rentur, hinc Papa Regem hac agendi  
ratione irritari veritus, ad eundem die  
nona Augusti literas dedit, declarans,  
quod

*Act. publ.  
Angl. t. 14.  
p. 346.*

*prolem, quæ ex novo conjugio orta est, ultus sit,  
ea mala testantur, quæ ipsis, ipsorumque fami-  
liis postea acciderunt.*

quod nec minis, nec censuris eum com-  
 pellere intenderet, cum ejusmodi pœ-  
 narum comminatio contra mentem su-  
 am nuperæ Constitutioni inserta fuisset,  
 de cetero citationis inducias usque  
 ad Nativitatis Dominicæ festa proroga-  
 re se velle ajebat. Rex vicissim acce-  
 pta Pontificis epistola Legatos induxit,  
 ut commissam ipsis potestatem vi man-  
 dati Apostolici exspirasse, nec ullam il-  
 lis amplius in hac caussa procedendi fa-  
 cultatem competere profiterentur; quo  
 facto Reginam aula excedere jussit, ipse  
 vero unacum Anna Bolena Graftonium  
 se contulit, ubi eum ambo Legati vi-  
 sum ibant. Hi præter omnium expe-  
 ctationem benigno admodum obtutu ex-  
 cipiebantur, & quamvis cuncti Volsæ-  
 um Regis gratia excidisse crederent, ni-  
 hilominus Henricus Rex diu cum illo  
 versatus, eadem, qua antea, benevo-  
 lentia eum honorabat, imo eidem ne-  
 gotium dabat, ut Campegium, plures-  
 que alios Proceres prandio exciperet,  
 ipse vero Rex solus unacum Meretrice  
 sua vescebatur.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1529.

§. CXV.

*Adversa Volsæi Cardinalis fortuna.*

Cum igitur Anna Bolena sola cum Re-  
 ge versandi facultatem nacta esset,

*Burnet hist.  
 de la reform.  
 tom. I. in 4. 1  
 p. 124. 2*

*Hist. Eccles. Tom. XXXV. R r nihil*

Sæcul. XVI. nihil eorum prætermisit, quibus Regis  
A.C. 1529. iram adversus Volsæum vehementius  
 accenderet. Hunc enim odio plusquam  
 vatiniano persequeretur, totamque vin-  
 dictæ suæ rabiem in eum effundere pa-  
 rabat, quapropter omnes illius actiones  
 in malam partem detorquebat, Regi-  
 que asperius exprobrabat, quod jam du-  
 dum Suffolciæ ac Norfolciæ Duces &  
 Rupifortii Vice-Comitem, qui Annæ  
 Pater erat, capite plecti iussisset, si  
 tot scelerum ac Volsæus reos sese fecis-  
 sent. Dissimulabat equidem Henricus  
 hujus probri acerbitatem, qua mentem  
 suam adversus Cardinalem exasperari  
 senserat, quinimo paulo post eundem  
 invisit, & ad feram usque noctem cum  
 eo collocutus in ipso discessu haud ob-  
 scure significavit, quod altera itidem  
 die sermones cum eo conferre optaret.  
 Verum nonnisi ficta erat hæc Regis be-  
 nevolentia; cum enim Volsæus Princi-  
 pis sui jussis obtemperare sollicitus au-  
 lam accederet, Regisque cubile intra-  
 re vellet, nunciatum ei erat, quod Re-  
 gia sua Majestas eum ad colloquium ad-  
 mittere nollet, juberetque, ut unacum  
 Campegio ad sua reverteretur. Vix  
 inopinæ hujus indignationis fama per-  
 crebuit, cum illico cuncti ejus amici,  
 qui paulo ante addictissimi videbantur,  
 a pristina illius consuetudine abstinerent,  
 inter

inter omnes vero cuncti Proceres maxime Sæcul. XVI.  
 in eum incitati infenique erant, atque A. C. 1529.  
 ipsi etiam clientes eundem omnis flagitii  
 reum solo eo ex capite proclamabant,  
 quod nunc Regis gratia excidisset.

## §. CXVI.

*Campegius Cardinalis Londino Ro-*  
*mam reversus.*

Verum Henricus Rex Campegium Le Grand.  
 multo benignius habuit; hunc e- l. cit. p. 156.  
 nim valere jussum multis muneribus cu- § 157.  
 mulavit: Cardinalis igitur Regis bene-  
 volentia fretus ineunte Mense Octobri  
 Londino discessit, Romam reversurus.  
 Ast cum jamjam navim conscendere pa-  
 raret, de repente ejus cubile satellitum  
 cohors ingreditur, ac Volsæi thesau-  
 rum sibi tradi postulat. Campegius Car-  
 dinalis haud parum conterritus mortem  
 sibi instare credebat, unde timore ple-  
 nus ad Sacellani sui pedes provolutus a  
 criminum suorum vinculis exsolvi pe-  
 tiit; interea vero Telonii Ministri cun-  
 ctas illius sarcinas excutiebant, sub ob-  
 tentu inquirendi, num forte in illis ve-  
 titæ merces laterent. Id tamen Regis  
 jussu factum credebatur; cum enim  
 Henricus Bullam, quam in Cardinalis  
 Campegii manu olim conspexerat, igne  
 consumptam fuisse ignorasset, ideo eam

R r 2

intra

**Sæcul. XVI** intra Campegiî scrinia repertum iri spe-  
**A.C. 1529.** rabat : postquam vero Cardinalis sese  
 ex timore collegerat , vehementer de  
 Ministrorum insolentia querebatur , da-  
 tisque ad Regem literis de injuria , quam  
 Sedis Apostolicæ Legato illatam ajebat ,  
 sibi satisfieri postulabat . Verum Henri-  
 cus parum comiter Cardinali reposuit ,  
 Telonii Ministros officii sui partes ex-  
 plesse , Regnique leges longo abhinc  
 tempore conditas fuisse executos ; illis  
 vero cunctos obstringi , qui Regno exce-  
 derent ; hinc mirum sibi videri , quod  
 jamjam a Papa revocatus , nihilominus  
 Legati jura jactitare vellet , Regnique  
 leges , cum tamen Sarisberiensis Epi-  
 scopus esset , usque adeo ignoraret ,  
 ut etiam absque Regis permissu Lega-  
 tionis prærogativa uti præsumeret . Ex  
 hoc responso Campegius satis aperte in-  
 telligebat , quod non modo nullam læ-  
 sæ existimationis reparationem spera-  
 re posset , sed etiam , quod impune abi-  
 re permetteretur , Regi in acceptis fer-  
 re deberet . Igitur Campegius in Fran-  
 ciam appulsus , ibidem a Prato Cardi-  
 nale summis honoribus , ingentique  
 pompa exceptus est .

§. CXVII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1529.

*Judicii acta in Volsæum instrui  
cæpta.*

Ex adverso Volsæus minus prospera *Act. publ.*  
utebatur fortuna; quippe die nona *Angl. t. 14.*  
Octobris a Regis Procuratore in judicio *p. 348.*  
accusabatur, ab eo statutum, quod inci-  
pit: *Præmunire*, fuisse violatum. Hæc  
lex sub Richardo II. anno Regni sui de-  
cimo sexto condita cujuscunque condi-  
tionis, & status personis inhibebat, ne  
quaslibet Bullas, aut Beneficia a Cu-  
ria Romana reciperent, indicta etiam  
pœna, qua non modo suis beneficis, si  
quæ habent, priventur, sed etiam Re-  
gis patrocinio excidant. Præterea die  
decima septima ejusdem Mensis Henri-  
cus Rex Norfolkciæ ac Suffolciæ Ducibus,  
qui tum supremi Senatus Præfecti  
erant, negotium dedit, ut a Volsæo  
Cardinale Regium Sigillum repeterent,  
quamvis illud eidem ad dies vitæ per-  
petuo jure concessum fuisset. Equidem  
Volsæus illud reddere recusabat, nisi  
hac de re speciale Regis mandatum ac-  
cepisset. Ast cum Duces quantocius e-  
jusmodi literas a Rege impetrarent,  
Volsæus iterato Regis mandato parere  
cogebatur. Porro Henricus Sigil-  
lum Varhamo Cantuariensi Archiepi-  
scopo,

R r 3

scopo,

Sæcul. XVI scopo, qui jam olim illud tenebat, re-  
A.C.1529. stituere meditabatur; cum autem hic  
 abs dubio ob ætatem valde provec̄tam  
 illud acceptare renueret, ip̄emet Rex  
 hujus dignitatis insigne contulit Thomæ  
 Moro, Viro omnium æstimatione tam  
 doctrinæ excellentia, quam morum in-  
 tegritate longe clarissimo. Quamprimum igitur Volsæus Sigillum reddiderat, confestim supremus Regis Procurator nova accusationum capita adversus eum protulit, unde Cardinalis die vigesima secunda Octobris jussu Regis Eboracensi Palatio suo excedere, atque ad quamdam villam suam, quæ illius tanquam Viacomienſis Episcopi erat, sese recipere compellebatur.

Vix aula exceſſerat Volsæus, cum illico ejus palatium occupatur, indeque magis pretiosa, qua ornabatur, supellex abstrahitur, omniumque suorum bonorum, quæ ad immensas creverant divitias, recensio fieri jubetur: Cum vero Volsæum omnibus suis bonis penitus exuere, nondum decreviſſet Henricus, hinc eidem vasa argentea, tantamque supellectilis partem, quæ octo vel novem millium Duplionum pretium æquaret, restitui præcepit, simulque ei Eboracensis Archiepiscopatus, necnon Viacomienſis Ecclesiæ possessionem reliquit,

con-

concessa etiam facultate, ut quosdam Sæcul. XVI. A.C. 1529.  
 sibi feligeret Advocatos, qui ejus nomi-  
 ne agerent, causamque illius tuendam  
 susciperent. Volsæus igitur hanc be-  
 nevolentiam in rem suam vertebat, nec  
 non Regis pollicitationi confisus, qua  
 hic ejus vitæ ac libertati cautum fore  
 sponndit, quantocius Procuratores se-  
 ligebat, eisque agendi provinciam de-  
 mandabat. Hi itaque Curiam adeunt,  
 ac Cardinalis nomine contestantur,  
 quod Volsæus Bullarum impetrationem,  
 de qua accusabatur, Regni legibus ad-  
 versam, Statusque incolumitati nocivam  
 esse ignoraverit: cetera vero crimina,  
 quorum reus dicebatur, haud diffitere-  
 tur, unde se penitus Regis clementiæ  
 committeret, declararet tamen, quod abs-  
 que Henrici consensu nihil attentasset,  
 sed desuper ab ipso Rege demandatæ  
 facultatis literas obtinisset, quas etia-  
 am exhibere potuisset, nisi ejus inimici  
 cuncta scripta ipsi abstulissent, de cetero  
 tamen cum Rege suo eundem judicio  
 contendere nolle, dicebant Procura-  
 tores. Nihilominus adversus Volsæum  
 sententia pronuntiatur, vi cujus ipse  
 Regis patrocinio privatus, cuncta vero  
 ejus bona Regio ærario addicta fuere.  
 Post hæc Henricus ipsum Senatus sui  
 potestati tradidit.



Sæcul. XVI.  
A. C. 1529.

§. CXVIII.

*Volsæi caussa in Regis Senatu  
dijudicata.*

*Milord Herbert vie Es  
hist. du regne  
de Henri  
VIII.  
Burnet hist.  
ref. tom. I.  
p. 116.  
Le Grand  
hist. du di-  
voice tom. I.  
p. 162.*

Igitur die tertia Novembris Senatus primo Londini congregatur, postea vero eodem Mense Westmonasterium transfertur, ubi Volsæi hostes totis viribus in id incumbabant, ut eum omnino pessumdarent. Præprimis supremi Senatus Curia adversus Cardinalem quadraginta quatuor accusationum capita produxit. Ceterum valde notatu dignum est, in nullo ex hisce articulis Volsæum accusari, quod edictum: *Præmunire* transgressus, aut Legati a latere officio absque speciali Regis consensu functus fuerit; id autem ideo factum, quia Regis assensum accessisse, neminem latere poterat. Præcipue vero suprema Curia Cardinali objecerat, quatenus ad exercenda Legationis suæ munia admissus Sacramenti Religione sese obstrinxisset, quod nunquam Legati potestate abuti vellet, nihilominus contra datam fidem auctoritate, quam ei Cancellarii auctoritas tribuebat, tyrannico prorsus modo usus fuisset, sibi que æqualem cum Rege potestatem in variis occasionibus arrogasset, eoque inscio sæpe jussa dedisset, ac denique in pluribus

ribus casibus pro summo imperio Regni Sæcul. XVI. A. C. 1529.  
 res administrasset, perinde ac si non Mi-  
 nistri sed ipsiusmet Regis personam ge-  
 reret. Ejusdem quoque conditionis ce-  
 teri erant articuli, omnesque specta-  
 bant immoderatam agendi rationem,  
 qua Legati, Cancellarii necnon supre-  
 mi Ministri officiis abutebatur, favorem-  
 que, quo apud Regem plurimum vale-  
 bat, perperam in rem suam vertisse ar-  
 guebatur. Denique cum ad ferendam  
 sententiam inferioris quoque Curie Suf-  
 fragium requireretur, hinc eadem ac-  
 cusationum capita ad hoc tribunal de-  
 ferebantur, adjecta comminatione,  
 quod Volsæus ibidem nulla mora tan-  
 quam læsæ Majestatis reus damnandus  
 esset. Verum Thomas Cromwellus hu-  
 jus tribunalis membrum, cum Cardinali  
 ab obsequiis esset, Domini sui causam  
 tanta dexteritate animique constantia  
 defendit, ut illum hac saltem vice non  
 modo a periculo vitæ eximeret, sed ip-  
 sus etiam hac sua integritate Regis ani-  
 mum captaret, atque ab illo temporis  
 articulo magni haberi inciperet.

## §. CXIX.

*Ludovicus Berquinus ad rogam dam-  
 natus, atque in Foro Parisiensi  
 combustus.*

Jam anno Domini millesimo quingen-  
 R r 5 teli-

Sæcul. XVI.

A. C. 1529.

*Vid supra  
lib. CXXX.*

s. 85.

*Beze hist.**Eccl. p. 7.**Crespin. acta  
Mart.*

tesimo vigesimo sexto memoravimus, quod nonnulla Ludovici Berquini opera censoria virga fuerint notata; verum illorum Auctor offensionem, quam populo Christiano suis libris præbuit, tollere minime sollicitus erat; cum enim Francisco I. Galliarum Regi, quamvis falsas opiniones passim spargeret, percarus esset, illius benevolentia ex carcere dimittebatur; verum adeo non obtenta libertas eum ad saniora reduxit consilia, ut etiam Bedam, & Duchennium, qui eum prius accusaverant, in iudicium vocare, eosque velut Viros nulli Religioni addictos traducere præfumeret, quin imo ex Bedæ libris duodecim articulos decerpfit, eosque ad iudicium detulit. Sub idem quoque tempus datis literis Erasmus hortabatur, ut ipsi suam etiam jungeret operam, nec amplius calamum suum stringere differret, eoquod nunc propitia sese offerret occasio, imo etiam necessitas urgeret, ut tandem Doctores omni, qua in Ecclesia valent, auctoritate spoliet, eorumque nomini labem aspergat. Verum Berquinus ruinam suam evasisset, si tum prudens Erasmi consilium fuisset secutus. Hic enim eidem Auctor existit, ut tandem a cæpto desisteret proposito, Regnoque excederet. Attamen sanum hoc Erasmi monitum nullatenus

tenus movebat Berquini animum; hac Sæcul. XVI.  
 igitur pertinacia ejusdem hostes acrius A.C. 1529.  
 incitati duodecim Commissarios nomi-  
 nari fecerunt, qui contra eum iudicii  
 acta instruerent, eumque debita pœna  
 castigarent. Ergo tertia jam vice car-  
 ceri mancipatur, atque in eum pronun-  
 tiatur sententia, qua ejusdem libri com-  
 burerentur, ipse vero, postquam errores  
 ex suis operibus depromptos ejurasset,  
 eique lingua perforata esset, ad dies vi-  
 tæ in vinculis detineretur. Verum Ber-  
 quinus a lata in eum sententia ad sum-  
 mum Pontificem, Regemque provoca-  
 vit. Equidem Guilielmus Budæus vir  
 ceteroquin doctissimus, qui & ipse in-  
 ter iudices unus erat, per integrum tri-  
 duum nullum non movebat lapidem, ut  
 reum ad revocandos errores, vitamque  
 mortis supplicio eripiendam induceret,  
 nullatenus tamen ejus contumaciam fle-  
 tere poterat; quapropter Iudices con-  
 ventu habito illum ad rogam condem-  
 narunt, quod etiam supplicium die vi-  
 gesima secunda Aprilis hoc anno supra  
 millesimum quingentesimo vigesimo no-  
 no in Parisiensi foro fubiit.

## §. CXX.

*Censura contra quoddam Sueffionense  
Breviarium.*

Hoc itidem anno Domini millesimo  
 quin-

Sæcul. XVI. quingentesimo vigesimo nono Parisina  
 A.C. 1529 Facultas Theologica quemdam precum  
 horariarum librum, quem vulgo *Brevia-*  
*Argentre in* *rium* vocant, in Sueffionensi Diœcesi re-  
*Colled. jud* citari prohibuit, eo quod ibidem plurium  
*de nov. error.* Psalmodiorum textus in multis hinc inde  
*tom. v. p. 77.* locis immutatus esset. Cum igitur Ec-  
 clesiæ Cathedralis Canonici ad Facul-  
 tatem Theologicam hanc novitatem de-  
 ferrent, eadem post maturam delibera-  
 tionem, die vigesima quarta Julii deci-  
 debat, quod ejusmodi ausus Ecclesiæ  
 Gallicanæ sint perniciosi, proin nulla-  
 tenus tolerandi. Eodem etiam tempo-  
 re Facultas ad Sueffionensem Episco-  
 pum, necnon ad Capitulum duas Epi-  
 stolas eodem die datas perscripsit, in  
 quarum prima hæc significat: *Accepi-*  
*mus his diebus breviaria quædam secundum*  
*usum Sueffionensis vestræ Diœcesis non sine*  
*jactura vestri nominis publicata, utpote in*  
*quibus non pauca leguntur novitate odiosa*  
*inserta, & communi Ecclesiæ usui dissona.*  
*Unde in Ecclesia Gallicana, nisi providea-*  
*tur, non parvum schisma posset suboriri.*  
*Quapropter antequam id malum coalescat,*  
*& contentiones vix unquam sopiendæ succre-*  
*scant, rogamus, ut talia dissidiorum seminaria*  
*pervigili sollicitudine Reverenda vestra Pa-*  
*ternitas amputet.* Eadem ferme Facul-  
 tas Sueffionensis Ecclesiæ Canonicis  
 perscripsit.

§. CXXI.

## §. CXXI.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1529.*Erasmus relicta Basileensi urbe Friburgum delatus.*

Cum Erasmus suspicionem, qua no-  
vis opinionibus adhærere credebatur, indies augeri haud obscure cognosceret, Basileensem urbem ejusmodi veneno jamjam infectam relinquere, ac Friburgum in Brisgovia, quæ urbs tum Ferdinando parebat, contendere decrevit; paucisque post adventum mensibus, nimirum mense Novembri Epistolam edidit contra illos, qui sese falso Evangelicos jactitant, ejusmodi enim homines, inquit ille: *Sunt superbi, & si possent, ipsum etiam Deum ad sua studia pertrahere vellent, mihi neminem contigit nosse, qui non factus sit seipso deterior, postquam nomen dedit novo huic Evangelio, quod certe non est Evangelium Christi.*

*Sleid comm.*  
*l. 6. sub fin.**Ep. 201.*  
*Inter Epist.*  
*Erasmi l. 19.*  
*ep. 31.**In vita Eras.*  
*in 12. ann.**1642. p. 53.*  
*num. 19.**Adversus*  
*Pseudo-E-*  
*vangelicos*  
*Epistola.*

Hanc Epistolam Argentinenses Theologi confutare nitebantur, eo quod Erasmus non minus illos, quam Basileenses aggressus esset, præprimis vero Martinum Bucerum, qui deserto S. Dominici instituto præcipuus inter Argentinensis Reformationis Auctores existit, ibidemque novæ Sectæ præconem egit.

## §. CXXII.

Sæcul XVI.  
A. C. 1529.

§. CXXII.

*Epistola Erasmi ad Stunicam.*

Insuper eodem hoc anno die nona Junii scripta reperitur Erasmi Epistola ad Jacobum Lopidem Stunicam in Universitate Complutensi Theologiæ Doctorem. Hic enim adversus docti hujus Viri *annotationes in novum Testamentum* calamum suum acuit, atque aliud quoddam opusculum edidit, cui titulus: *Blasphemica, & impietates Erasmi &c.* In eo quasdam collegit propositiones, quæ liberiori calamo scriptæ in libris Erasmi reperiabantur, ejusque Auctorem Ecclesiæ Magistratibus exosum reddere poterant. Equidem hunc librum evulgari Leo X. Stunicæ inhibuit, factamque illius prohibitionem Adrianus VI. ejusdem Successor confirmavit, nihilominus multo post tempore hic liber clamyptis editus in lucem prodiit, atque Erasmus illum confutare compulsus fuit; id etiam præstitit scripta apologia, qua ostendit, quod Stunica ei vel falsa affingat, vel veras illius opiniones sinistra interpretatione corrumpat. Attamen elapso aliquo tempore Stunica librum, cui titulus: *Prodromus*, necnon alia duo edidit opuscula, quorum primum hunc titulum præferebat: *Conclusiones principales suspectæ & scandalosæ, quæ reperiuntur*

in

*in libris Erasmi Roterodami per Jacobum Sæcul. XVI.*  
*Lopidem Stunicam excerptæ. Altero au- A.C. 1529.*  
 tem Stunica comprobatum reddidit,  
 quod antiquus sacri Codicis Interpres  
 illis nævis careat, quibus eum scaterere  
 Erasmus observavit. Extat adversus  
 hasce conclusiones apologia Erasmi,  
 qui sub idem tempus apologeticam scrip-  
 sit Epistolam, de qua hic agimus; hæc  
 enim veluti confutatio erat postremi  
 tractatus, quem Stunica evulgavit.

## §. CXXIII.

*Alia Erasmi opera adversus Caran-  
 zam & Staudicium.*

Cum Caranza affirmaret, quod Eras-  
 mus in suo responso vim illorum  
 textuum, quibus Christi Divinitas ad-  
 struitur, infirmasset, hinc Erasmus hoc  
 probrum diluere statuit, atque apolo-  
 giam, quæ in nono operum suorum to-  
 mo exstat, concinnavit. Pariter Stau-  
 dicius Angliæ Episcopus, necnon Lo-  
 vanii Nicolaus Egmend Ordinis Car-  
 melitarum & Theologiæ Professor Eras-  
 mum carpebant, quod quemdam sacræ  
 Paginæ locum perperam interpretatus  
 esset. Hic textus respiciebat mortuo-  
 rum resurrectionem, de qua in Græco  
 ita legitur: *Non dormiemus omnes somno  
 mortis, sed immutabimur omnes, cum ta-  
 men*

*Erasmus in  
 hunc locum:  
 Omnes qui-  
 dem resur-  
 gemus. tom. 9.  
 operum.*



Sæcul. XVI. men vulgatæ textus habeat: *Omnes qui-*  
 A.C. 1529. *dem resurgemus, sed non omnes immutabi-*  
 1. ad Cor. *mur.* Sequebatur Erasmus in versio-  
 cap. 15. v. 15. ne sua Græci textus sensum; inde  
 vero ejusdem Adversarii eum de plu-  
 ribus hæresibus præcipue circa resur-  
 rectionem accusandi occasionem capta-  
 bant: ipse vero in sua responsione osten-  
 dere nitebatur, quod textus Græci sen-  
 sus optime defendi possit, proin hæc ac-  
 cusatio solida ratione destituatur.

## §. CXXIV.

*Lutheri opera hoc anno edita.*

*Spond. ad*  
*hunc annum*  
 §. 11. 12.

Hoc item anno Lutherus quædam o-  
 puscula publici juris fecit, ac præ-  
 primis ad Bremensem Præpositum Hi-  
 storiam eorum, quæ in Marpurgensi  
 conventu inter ipsum & Zwinglium ge-  
 sta fuere, breviter scripsit, ubi *Sa-*  
*cramentorum hostes multa e suis dogmatibus*  
*revocasse, id vero Lutheranae doctrinae Se-*  
*ditatoribus objici haud posse asserit, se quo-*  
*que Sacramentariis concessisse inquit, ut,*  
*quamvis pro fratribus eos habere non pos-*  
*set, charitate tamen, quæ etiam hostibus de-*  
*betur, non privarentur.* Scripsit insuper  
 libellum de bello contra Turcas, in quo  
 sane, inquit Cochlæus, *ita suadet bellan-*  
*dum esse contra Infideles, ut magis Christia-*  
*nos ab eo bello absterrere videatur, quam ad*  
*illud*

*Cochl. in act.*  
*Luth. hoc an-*  
 no pag. 200.

*illud incitare. Etenim multis ibi verbis queritur, inique damnatum fuisse a Leone X. illum articulum suum: præliari adversus Turcas est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos, quia non tantum omnia debemus velle, quæ Deus vult, ut velimus, sed absolute quodcumque Deus vult. Inter multa alia etiam sic habet: Interrogetur rerum experientia, quam prospere hactenus nobis fuerit bellum cum Turcis gerere, quando tanquam Christiani, & sub nomine Christi pugnavimus, donec tandem Rhodum, totamque pene Hungariam, atque ad hæc magnam Germaniæ partem amisimus, ut sentire ac palpate possimus, quod Deus non sit nobiscum ad bellandum contra Turcas. Multis præterea propositionibus incessit, atque ibi calumniatur Lutherus Papam, Imperatorem, Reges, Principes, & Episcopos maxime vero Curiam Romanam. Hucusque Joannes Cochlæus, qui etiam ex præfato Lutheri libro triginta sex propositiones ad modum Dialogi extraxit.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1529.

§. CXXV.

*Hist. Eccles. Tom. XXXV.*

S s

Sæcul. XVI.  
A.C. 1529.

§. CXXV.

*Hæretici Coloniae combusti.*

*Sleid. in com.*  
*l. 6. p. 200.*

Tunc temporis haud adeo in fidelium animis deserbuit fidei tuendæ studium, quin in quibusdam Germaniæ urbibus Hæresiarchæ Lutheri Sectatores graviter plecterent: Cum enim Coloniae Petrus Flistedius, & Adolphus Charlebachus Viri literati de Sacratissima Eucharistia, aliisque fidei Catholicæ articulis erroneas traderent sententias, hinc comprehendi jubebantur, ac demum per sesquiannum & amplius in carcere detenti, tandem ad rogam damnati exurebantur.

§. CXXVI.

*Status Religionis in Suecia.*

*Joan. Levo-*  
*nus rerum*  
*Suec. l. 6. an.*  
*1529.*

Ceterum in Sueciæ regno, ubi vera Religio jam ferme penitus exulabat, nihil Lutheraniæ hæresis progressus morari poterat; quippe ineunte hoc anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo nono Gustavus Rex generalia Regni comitia agebat, in quibus tanquam fidei normam Lutheri errores præscripsit, ac summi Pontificis obsequium ritu solemniter penitus excussit.

Habita

Habita fuere hæc comitia Orebri, quæ Sæcul. XVI. A.C. 1529.  
 est exigua Nericiæ Metropolis ad E-  
 rosam amnem sita, ubi pro omnibus Re-  
 gni Ecclesiis communis ritus stabilie-  
 batur, ac præprimis Rex nonnullos no-  
 væ Sectæ Præcones, quorum sermoni-  
 bus ipse intererat, Episcopis obtrude-  
 bat, dato negotio, ut eisdem beneficia  
 conferrent, eosque contra omnem violen-  
 tiam tuerentur. Nihilominus Hæ-  
 reticorum nonnulli male habebantur;  
 quippe Scaræ in Westrogothiæ Provin-  
 cia Episcopus illum Præconem, quem  
 Rex immiserat, fugam arripere compu-  
 lit, pariter Collegii Rector, cum Evan-  
 gelium S. Matthæi suis Discipulis ex-  
 planare inciperet, vix non lapidibus ob-  
 rutus periisset, nisi tempestive Wad-  
 stenum Ostrogothiæ urbem auffugisset.  
 Horum tumultuum auctores erant non-  
 nulli Gothiæ Occidentalis Proceres,  
 qui tuendæ Religionis Catholicæ stu-  
 dio incitati in Regem conspirabant;  
 verum eorum princeps Huro - Joan-  
 nes dictus paulopost comprehensus car-  
 ceri dabatur, ex quo nonnisi post seme-  
 stre ad preces Georgii filii sui, qui a-  
 pud Gustavum plurimum valebat, li-  
 beratus fuit. Ceterum Sueci minus  
 quam reliqui ab avita Religione disces-  
 ferunt; quippe etiamnum Episcopos,  
 Presbyteros, & Diaconos licet conju-

Sæcul. XVI. gatos habent, eorumque Ecclesiæ pa-  
A.C. 1529. rum a nostris discrepant, nec illorum  
 quoque Liturgia multum ab illa, quam  
 Romana Ecclesia tenet absimilis est.  
 Denique in præcipuis anni festivitati-  
 bus noxarum confessione sese purgant,  
 quamvis non raro simul decem aut  
 duodecim sese ad Ministri sui pedes pro-  
 volvant, ab eo pœnitentiam receptu-  
 ri. Porro Lutheri secta similes quo-  
 que progressus in Dania  
 fecit.



INDEX